cessaria est medico earum cognitio, & quantum ad earum essentiam absolute, sicut ex parte subiecti & virtutis & posse ipsarum; & quantum ad emendationem nocumentorum earum & modum approximandi earum, similiter etiam quantum ad remotionem nocumentorum ipsarum in hora solutionis ipsarum, & post solutionem, vt sciat curare earum accidentia & nocumenta dum adsunt, & etiam præseruare ab eis: hoc autem facit Mesue in hoc lib. primo qui continet quatuor sermones. Tunc ad rationem (de illis &c.) dico quòd ista maior est falsa. Tu probas auctoritate Halyabatis, Dico quòd multum refert dicere, non des potum mortiferum, & non cognoscas eum: non enim medicus debet eum dare, eo quòd finis destruitur: sed non dicit Halyab. quòd non debeamus eum cognoscere, imo oportet eum cognoscere vt ipsum euitemus. Vel potest dici quòd concedatur maior quantum ad ea quæ sunt venenum absolute. sed si sint medicinæ venenosæ non per se, sed consolatæ cum alijs medicinis vt earum malitia remoueatur, bene oportet tradere de eis cognitionem; & sic faciet Mesue infra. docebit enim cognoscere scammoneam & agaricum & similia, & quæ sunt meliores ex eis, & quæ non, & partes venenosas ab eis remouere, quæ quandoque inueniuntur in eis.

IN hoc autem priore libro quatuor theoremata seu proposita docere statuimus.

THEOREMATA PRIMI LIBRI QVATVOR.

1 QVÆ in medicamento purgante deligendo sunt obseruanda, ac æstimanda: primò, propria scilicet ipsius essentia: secundò, facultas.

Lib. 3. simp. Cap. 14. 2 Qua ratione vis medicamenti malefica priuiquam sumatur, corrigenda sit. Quod duplici fit ratione: vna quidem, admisto ei altero medicamento, & eo ipsi contrario, vel tota sua substantia seu proprietate sua, vel temperie, vel effecto, admisto, inquam, proportione iusta. Altera verò ratione per quadruplicem artificis industriam. 1. coctionem. 2. lotionem. 3. infusionem, 4. trituram.

3 Quibus remediis propulsemus incommoda tria in nobis à medicamento excitari solita purgandi tempore. Primum, materias ab eo moueri, sed non vacuari. Secundum, eas vacuari quidem, sed molestè & illegitime. Tertium, vacuari vltra quàm conuenit.

4 Quibus auxiliis sanemus affectus in corpore post purgationem reliquos quales ferè sunt tredecim, singuli capitibus singulis à nobis traditi. 1. Febris, 2. Cephalalgia, 3. Vertigo, 4. Visus obtusitas, 5. Ventriculi imbecillitas, 6. Sitis, 7. Singultus, 8. Ventriculi dolor, 9. Intestinorum vlceratio, 10. Deiectio cruenta, 11. Tenesmus, 12. corporis laxitas & debilitas, 13. Conuulsio.

E

THEOREMA PRIMVM.

MEDICAMENTVM est Purgatorium, non à temperamento, neque vt contrarium agens in contrarium, quatenus cõtrarium: neque vt simile trahẽs & euellens alterum, aut vt contrarium: neque vt leue sursum, graue deorsum, agitans purgandam materiã, sed quia talem [cœlitus est sortitum facultatem.] Omnis enim res (vt à Philosophis dicitur) facultate duplici est dotata & prędita: vna quidem elementari, qua calfacit, refrigerat, [humectat, siccat.] non autem purgat: altera vero cœlesti, hacque vel communi, vel sibi propria, & temperie illam dirigẽte, & qua hoc medicamentum est purgatorium, illud hanc, vel illam vacuationem prouocat, aliud aliam atque aliam habet virtutem. Quæ omnia potest medicamentum à cœlesti virtute ad temperaturam accedente.

Medicamẽtum purgatorium humorem sibi familiarem trahit, similitudine totius substantiæ, sed adiutum calore. Cal. lib. facul. natur. & simp.

F

MONDINVS.

G HIC aduertendum, primo dicit Mes. q̃ omne ens mistum hic inferius existẽs est informatũ duplici virtute. s. virtute elementari & cęlesti. causa est in promptu, quia omne mistum habet duplex principium quo potest operari suam operationẽ. s. principium inferius, & se tenet ex parte materiæ & agẽtis proprij & determinati: aliud est principiũ superius siue vniuersale, & hoc est corpus cœleste. vnde dicit Arist. secundo physicorũ q̃ homo hominem generat ex materia & sole. & ideo bene dicit Mes. quòd omne mistum est dotatum, & informatum virtute elementari & cœlesti, cum per hæc duo perficiat suas operationes. Secundo aduertendum. dicit Mes. quòd mistum dotatum virtute cœlesti, quandoque dotatur ea communi existente, quandoque propria. Nam forma specifica quandoque est communis, quandoq; propria: communis, sicut quando inest pluribus eiusdem generis aut eiusdem speciei, sicut dicimus q̃ omnibus odoriferis inest forma specifica per quam habẽt attrahere matricem, & rebus fœtidis inest forma specifica per quam matricem fugant. sed forma specifica propria est illa quæ nõ inest omnibus indiuiduis eiusdem speciei, & eodem modo. non. n. omnis magnes mouetur versus polum meridionalem, etiam est quidã magnes qui attrahit carnem hominis & quidam non, vt Alber. ponit in suo de mineralibus autoritate Aristo. & tamen omnes sunt eiusdem speciei. Dicit postea. Et hoc quia a cœlesti virtute tale supra complexionem fertur, & per hæc verba innuit Mes. quod licet medicina solutiua non euacuet proprium humorem per complexionẽ suam immediate & principaliter: tamẽ ipsa complexio est principium præparatiuum & deseruiens formæ specificæ ad faciendum illam operationem. Nam specifica forma non influitur misto absolute, sed influitur misto præparato per complexionem. & ideo nos possumus dicere quòd ipsa forma specifica non est aliud formaliter quàm quoddam additum supra complexionem per qd

H

facit

facit talem operationem.aut etiam licet complexio nõ sit primum principium operationis occultæ, tamẽ multum adiuuat ad occultam operationem illius medicinę solutiuæ.vt sit verum dicere quòd medicinæ solutiuæ quæ cum forma specifica habent complexionem calidã & siccam eis annexam,plus attrahũt & euacuant quàm si non essent talis complexionis.adhuc quæ sunt vehementer calidæ & siccæ cum proprietate quam habent, plus euacuant q̃ aliæ quæ non sunt sic calidæ & siccæ.

Quod Galen vocat totius substantiæ similitudinem, seu qualitatis proprietatẽ sola experientia noscendam, Mesues virtutem cœlestem,seu formam specificam,seu occultam qualitatem, appellat.

REBVS enim omnibus natura (vt inquit Plato) proprietates quasdam indidit, quibus hæ ipsæ quod sibi est proprium agũt, idque pro formæ natura & motione insita, cũ nullius rei actio propria esse possit vlla, nisi quam forma ipsa excitat & dirigit.Hoc autem demonstrare,medici nõ est,sed philosophi, altiora speculantis. Absurdum igitur fuerit existimare, à simili trahi simile:absurdius,à contrario:cõtraria enim mutuo se expellunt,non attrahunt.

MONDINVS.

Similitudo medicinarũ ad humores duplex.

DE simili sciendũ q; similitudo est duplex:quædã est similitudo in qualitatibus manifestis, & hoc modo medicina nunquam euacuat siue trahit humorem quia ei similis in qualitate.s.manifesta, nec hoc fuit vnquam opinatus G. bene.n.fuisset rudis, si dixisset quòd cattamus & turbith attrahunt phlegma,quia ei similes in qualitate manifesta, primo cũ phlegma sit frigidum & humidum & turbith calidum & siccum.etiam differunt in modo substantiæ.Alia est similitudo in qualitate occulta siue specifica forma, de qua loquitur Gal. in tertio de simplici medicina.Vnde euacuat cattamus aut turbith phlegma, quia eis simile in qualitate. s.occulta siue specifica forma. & per hoc soluitur vna quæstio prius mota si bene aduertatur,vtrum. s.medicina laxatiua vel solutiua euacuet humorem sibi proprium, quia simile,vel quia contrarium.

IOANNIS COSTÆI ANNOTATIONES.

De purgantium medicamentorũ actione fusius egimus 2.de vniuersali stirpiũ natura, quẽ superiori anno diuulgauimus.

DE purgantibus medicamentis quæstio inter antiquos medicos fuit,attraherent ne ipsa humores quos detrahunt, an potius gignerent.Atque Hipp.quidem vetustissimus medicinæ parens non solum trahẽdi facultatem inesse ijs profitetur quæ purgant: sed eam propriam & peculiaris etiam humoris attractricem. Contra tamen & Erasistratus aliquam in naturalibus rebus fieri attractionem negauit, & Asclepiades medicamenta ipsosmet gignere humores qui ijs assumptis educi solent, tueri est ausus.Mesues hic noster rationalis & diuinus certe medicus, ab Hippoc. non recedit: sed hoc veluti posito fundamento quòd attrahant, qua vi id ipsum agant breuiter innuit,refutatis breuissime quibusdam aliorum hac de re opinionibus.Age autem, quando digna animaduersione est quæstio,quæ hic de purgandi causa proponitur: prætermissa nunc veterum illorum opinione à Galeno in libello de purg. medic. facult. satis reprobata, attractionis huius causam paulo fusius inquiramus, & Mesuæ sententiam expendamus. Sanè facultatis huius admirabilis causas, vt ego quidem video, alij manifestas afferunt, vt calorem, temperamentum, qualitates sensibiles nuncupatas, ac similitudinem in substantia vel qualitatibus inter medicamentũ & humores. alij ad obscuras confugiunt:atq; hi nõnulli ad similitudinem inter humores & medicamenta,alij ad contrarietatem, quidã etiam ad proprietatem totius substantiæ à cœlo impartitam. Explicemus ergo hæc omnia sigillatim. Primum omniũ,qui ob calorem trahere medicamẽta arbitrantur,exẽplo mouentur ab euidentibus rebus desumpto. vt enim calore solis vaporum copiam ex terra sursum efferri, & calefactas seu igne,seu frictione, seu medicamenti alicuius vi externas corporum nostrorum partes in tumorem attolli quotidie obseruamus, ob spirituum,s.& humorum attractionem; ita etiam quum medicamentum humores allicit,vt eius calorem in causa esse statuamus,non videtur à ratione alienum, atque ob id maxime, quòd attractionẽ omnem ex calore fieri philosophi quidam clarissimi senserunt,& ex purgantibus,quæ calidiora sunt, cęteris minus calidis valentius expurgare vsu ipso experimur. merito igitur purgandi vis calori videtur ascribenda.Cõtra autem alij, quanuis probabilem affectionis huius causam caliditatem dent esse;absolutam tamen esse nõ assentiuntur.Atque doctissimus quidem Auerroes, quum attractionem duplicem esse doceat. 5. Coll.alteram à calore, alteram à proprietate quam etiam à tota substantia nuncupat; concurrere in medicamentis vtranq; existimat,adesse,videlicet attractionem quatenus attractio est (talemq; eam vocat quæ à calore) cuius merito trahant: & attractionem à proprietate ob quam certum humorẽ ex certa regione expurgent.proprietatem vero hanc conuenientiam & proportionem esse ait inter medicamẽtum & humores quæ ex certa elementorum mistione proueniat.trahere autem medicamenta non sine humoris cognitione existimat. Alij autem, quanuis attractionis initiũ caloris gratia fieri non abnuant:quia tamen caloris acies obtundi ab humiditate solet, vt primo statim humorum affluxu medicamenti quoque caliditas reprimatur, attractrixq; ipsa vis infringatur,necesse putant,si modo purgatio vnius caloris vim sequitur. quam ob rem facto à calore trahendi initio,ac detracta humoris portiuncula, succedere postmodum quod reliquum est, vi vacui & consecutione quadam arbitrantur. Alij tamen rursum non calori,sed temperamento, quod ex primarum qualitatum fit confusione veluti ex varijs vocibus harmonia, purgandi tribuunt vires.quum enim scammonium bilem primo loco in omni corpore & affectu omni semper educat non pituitam,agaricus contra pituitam non bilem;verisimile est facultatem hanc quæ toti speciei communis & perpetua inest, non caliditatem sequi quæ par in alijs reperitur medicamentis quæ tamen pares vires nõ habent: sed ex intimis ac proprijs horum principijs, atque adeo ex peculiari eorum temperamento effluere, quo pacto etiam propria rerum accidentia omnia ex proprio temperamento duci philosophi plerique profitentur. Sed neque hæc tamen opinio omnibus satisfacit. præter calorem.n. & præter temperamentum alij etiam qualitates secundas, sapores. s. & substantiæ tenuitatem addendam putant: quare purgantia generatim omnia quo calidiora

Cap. 18.

acriora & tenuiora fuerint, eò etiam crassiores humores & ex remotioribus partibus aiunt expurgare. Hac autē ratione id fieri subdunt, vt medicamenta quæ minus calida acria & amaritudinis ferè expertia sunt, à toto corpore trahere vehementer quum nequeant, merito solam bilem flauam educant; calidiora vero & acriora tum calore, tum insigni partium tenuitate crassum ac melancholicum humorem alliciant; sicuti etiam quæ cum insigni calore & acrimonia vehementem amaritudinem coniunctā habent, pituitā; calidissima vero & acerrima ac penè caustica aquas expurgant. Hæc illi. Ab his tamen omnibus discedunt alij, & attractionem hanc non nisi similitudinis gratia fieri aiunt: similitudinis inquam, cum substantiæ, tum qualitatum quæ inter attractum humorem est & medicamentum quod trahit. consentaneum certe est quæ similia sunt facillime congredi. Sentire autem hoc ipsum Galenus interdū videtur, veluti quum 3. de simpl. med. fac. cnicum pituitam nō immerito expurgare ait, quia illi similis est colore & substantia. Sed de manifestis causis hactenus. Qui vero ad occultas causas rem deferunt, horum quum aliqui ad similitudinem, alij ad contrarietatē, alij ad occultam proprietatem confugiant; qui ignotæ similitudini seu sympathiæ vim hanc ascribunt, cum vt superiores, à similibus trahi similia argumentantur, tum tuentur sese & magnetis exemplo, qui opinione multorum ob similitudinem ferrum trahit (ijdem quippe vtrique nataleſ sunt & eadem ferri & magnetis fodina est) & alimentorum quæ similitudinis itidem gratia trahuntur à partibus quibus alendi desiderium inest. hos autem & 3. de simpl. medic. facul. videtur Gal. sequi. At vero qui dissidij & antipathiæ potius quàm similitudinis vllius causa purgationes fieri suspicantur, alia mouentur ratione. non fugant se se quæ similia sunt, sed quæ contraria. at assumpto medicamento humores extrudi foras videmus. Non alia item de causa medicamenta purgare constat, quàm quod naturæ nostræ aduersantur, vim faciunt, ac veluti veneni vires exercent, id enim medicis omnibus est receptum. dissidium ergo purgationis est causa, non similitudo. Ceterum neque hęc opinio omnibus arridet. Sed alijs non antipathia, non sympathia, verum insita quædam proprietas medicamenti formæ à cœlo impartita actionis huius potissima visa est causa. quum enim duplex in re omni facultas sit philosophorum testimonio, elementaris altera, & altera cœlestis quæ supra elementorum est vires, & proprietas vocatur: iure admirabilis actio hæc ad cœlestem facultatem referenda videtur nō ad elementarem, ita sanè & magnetis attractionem diuinam diuinus Plato censet in dial. de poet. furore licet interdum vacui addat necessitatem vt in Timæo. Sequuti opinionem hanc doctissimi sunt viri Auicen. atque Auerr. Et eandem etiam sequitur Mes. noster, non temperamenti ac elementaris vllius facultatis gratia, non ob similitudinem aut contrarietatem: sed ob proprietatem cœli munere impartitam purgantium medicamentorum actionem fieri, primis statim verbis pronuncians. Itaq; quum hæc ita se habeant, totq; ac tam variæ de proposito problemate sint sententię, perpendamus nos rursum singula diligentius, & quid ipsi sentiamus ingenue explicemus. Profectò (vt ne ab istituto ordine recedamus) q̃ calor attrahat nō est vt quis neget, qū id sensus docet, seu per se, seu per accidens attrahat. ita etiam q̃ nullo pacto attrahere medicamentum queat

E sine calore, fateri oportet, quando venarum reseratio quæ ad attractionem necessaria est, non nisi caloris vi fieri potest. quod tamen ad hunc locum facit, si caloris eius vi qui medicamento inest attractio humorum primario fieret, medicamenta ergo calida omnia purgatoria essent, educerenturq; quouis ingesto pharmaco humores promiscue omnes, semperq; tenuiora excrementa primo loco deijcerentur. Contra tamen infinita prope modum calida & ipsis quæ purgatoria vocamus longe calidiora sunt, quę non expurgant. obseruareq; est medicamenta non confuse omnes, sed suos quæq; humores primo semper loco detrahere, ac crassiora frequenter excrementa pro vi. s. medicamentorum varia, primo loco excerni tenuibus relictis. id enim pulchre in lib. de purg. med. facul. Gal. dissserit. quanquam illud quoque pro certo habemus in eadem humoris specie quod tenuius est primum, dehinc quod crassius, ordine à medicamento omni elici: id enim & ratio docet, quando tenuiora fluxioni aptiora sunt quam crassa; & experimento licet cuique obseruare. Ita ergo confutari eorum placitum existimarim qui calori primarium in purgando ascribunt munus. De Auerrois opinione qui caloris naturalis gratia & conuenientiæ ac proportionis (vt eius verbis vtar) inter medicamentum & humores attractionem hanc fieri existimat, si liceat proferre quod sentimus, non satis assequimur quid tantus vir velit. esto inter medicamentum & humores conuenientia & proportio. unde hæc? Ex certa quadam mistionis mensura? At & primæ & secundę & tertię qualitates certam exigunt elementorum mistionem vt edantur. quòd enim absinthium primo ordine calfaciat, minus quam sal astringat & abstergat, non aliunde quam ex diuersa elementorum mistione puto prouenire. non differet ergo attractio ex proprietate ab ea quę ex calore, si vtraq; mistionem sequitur elementorum. non ergo vnus aut alter, sed confuse omnes & ex quacunque regione, humores trahentur. At cognosci ait Auer. à medicamentis humores. Non renuo, neque vt quidam, tam crassæ mineruæ hominem fuisse Auerroem puto, qui sentiendi vim medicamentis ascripserit. ac fateor inesse medicamentis vim talem qualis in ijs quę vt alantur, trahunt. neque enim sine naturali appetentia ac propterea cognitione, ac rectius, instinctu quodam trahūt, id quod Platonem vt plantis sensum tribueret, cōpulit. verum quia non aluntur humoribus medicamenta, quòd ita appetant attrahantq; videtur digniori quam elementis initio deferendum. Faciunt vero hæc non minus aduersus eorum opinionem, qui, quum trahendi initium calori acceptum ferant, detracta tamen humoris portione succedere aliam consecutione quadam, & metu vacui existimant. Sed hos etiam illud particulatim refellit, quòd si modo vi vacui purgatio fieret, leui quouis assumpto pharmaco humorum omnium & sanguinis etiam ipsius euacuatio succederet. ita. s. tubulos qui hauriendis vi vacui aquis parantur, nunquam in trahendo habere modum videmus. at qui hoc ridiculum est. Sed quid de ijs dicas, qui purgandi facultatem accidens veluti proprium medicamenti esse aiunt ex toto temperamento emanans, atque adeo temperamentum purgationis causam esse putant? His certe, quū temperamentum ex permistis elementorum qualitatibus originem ducat, neque aliud sit quidpiam quam certus quidam ex calore frigore humiditate & siccitate concentus, cur & quo pacto præter primas eas qualitates vi

res

res huic quàm eius primordijs tanto interuallo maiores ascribi debeant, reddenda ratio erat. Atq; hæc aduersus eos qui calori aut temperamento purgatricis facultatis causam ascribũt. Qui autem præter hęc sapores etiam & substantiæ modum adiungunt, ijs non temere hæc obijci posse videntur. primum quidem neq; acria amaráue omnia cũ tenuissima etiam partium substantia purgandi ui prædita sunt: neque quæ purgant omnia vel amara aut acria sunt, vel tenui substantia constant, quod hi veluti perpetuum ponere videntur. ascribi vero etiam hæc facultas nõ minus odori posse videtur quam saporibus, quando ex solo medicamenti odore pluribus citari aluus solet. Quid? etiam vmbilico & calcibus admota medicamenta interdum expurgant, quod Aetius Paulus & Actuarius docent. frequenter etiam integra euomuntur medicamenta & larga tamen deiectio sequitur. neque raro catapotia qualia prorsus assumpta sunt, reddere aluus solet cum copiosa humorum colluuie. An etiam sapores & substantiæ tenuitas in his purgationis sunt causæ? Quod certe substantiæ tenuitas præstare potest, penetratio est medicamenti in intimas & remotissimas corporis partes. acrimonia autem & amaror cum sentiẽtes partes irritare, tum abstergere aptæ sunt: non id autem possunt nisi medicamenta ipsamet in vniuersum ferantur corpus, quod (vt nunc quandoque fieri dicimus) fieri tamen perpetuo non potest, veluti, quum foris admouentur vel integra vomitu aut deiectione per aluum redduntur. non est ergo purgatio vel saporum vel substantiæ tenuitatisve primarię causę opus, vt hi putant. Quare neq; quod subdunt, errore vacat, quum aiunt medicamenta quę minus acria amaraue sunt bilem tenuem tantum, ac leuem humorẽ ducere; acriora vero & amariora ex maxime longinquis partibus crassum educere quale pituitosum & melancholicum est. amarissimum enim medicamentum est aloe, quę tamen hepar vix attingit & bilem vix expurgat. contra autem armenus & cyaneus lapis saporis ferè omnis expertes, (præsertim tritarã et lotionem passi,) melancholica & pituitosa excrementa ex extremis corporis partibus euellunt. ita & polypodium quod dulce est acredinis prorsus expers pituitam elicit, marina brassica quæ subamara, & hermodactylus ferè dulcis, serosos humores trahit. Non sunt ergo purgationis causa sapores aut substantiæ modus, licet non negem huius generis qualitates ad purgationes etiam plurimum conferre. Ab ijs vero qui ob similitudinem inter humores & medicamenta illos aliici ab his putant, hæc querenda essent. Primum quidem, quia substantiæ vocabulum non vno significatu sumi solet, sed quandoque substantiam vere ipsam, quandoque autem modum substantiæ significat, vtrum horum intelligunt? Si vere substantiam, ea est materia rei ac forma. ridiculum autem sit dicere eadem aut simili forma seu materia constare medicamenta & humores, quæ toto genere differunt, nihilque commune habent. Si autem substantiæ modum, atqui agaricus pituitam trahit crassam uiscidam grauem, ipse tamen tenuis friabilis leuis, infinitaq; vsu quotidie veniunt pituitæ hoc pacto similia, oui albumen, caseus, itria atque eius generis alia quæ pituitam non eliciunt. Quòd si in qualitatibus sensilibus similia medicamenta sunt & humores, quum eæ, quod ad hoc negotium facit, alię ad tactum referantur vt caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, alię ad gustatum vt sapores, alię ad aspectum vt colo

A res, si rem perpendas, medicamenta pleraque calida frigidos etiam humores ducunt, vt colocynthis cnicus agaricus pituitam: ita & amara dulcem aut certe insipidum eliciunt, vt eadem colocynthis cnicus agaricus eãdem pituitam, & dulcia amarum vt manna & cassia bilem: ita etiam scammonium cineritio colore præditum, & manna quæ candida est bilem flauam, ac mirabolani chebuli nuncupati subnigri pituitam ducunt. Sequitur nunc eorum opinio qui ad occultas causas confugientes similitudinem in substantia ac qualitatibus non manifestam, vt superiores, sed occultam inter medicamenta & humores ponunt. Sed paucis. vtram similitudinem intelligas, occultam aut manifestam, in qualitatibus aut substantia, maior non videtur ratio vt medicamentum humores trahat quam trahatur. quod enim solet Gal. excusare, hoc illos trahere quia valentius, vel ex eo confutatur quòd assumuntur pharmaca

B sæpissime frustrata purgationis expectatione: quo docemur quandoque etiam attractioni resistere humores, neque semper a medicamento superari: alioqui etiam hoc ipsum quod Gal. ait, pręter eam quæ ex euentu fit obseruationem, nullam coniunctam habet rationem. verisimile s. videtur id quod trahit eo quod trahitur esse validius. atqui non idem semper trahit aut trahitur, non semper medicamentum purgat, sicuti etiam non semper magnes ferrum, sed contra magnetem ferrum, aut etiam ipsemet trahit magnes. infirma ergo hac de re Gal. ratio videtur. Adde, quod quę ob familiaritatem seu similitudinem substantię trahunt, ob id trahunt vt attracto fruãtur: & quæ ad trahens mouentur, mouentur omnia vt perficiantur. at quis medicamentis humorũ vsus, quæ etiam humoribus ex medicamentis perfectio esse potest? Addamus etiam postremo nunquam satis laudati Auicennæ rationem. Si at-

C tractio ob similitudinem fieret, ferrum ergo ferrum attraheret. quid. n. ferro similius est quam ferrum? falsum igitur est non solum quod medicamentum ob similitudinem humores alliciat, sed generatim quod similitudinis gratia vlla fiat attractio. Hęc dici possunt aduersus eos qui similitudini purgandi vim ascribunt. Non difficile vero etiam est eorum placitum euertere qui antipathię gratia purgationes fieri putant. Quæ enim antipathia hæc? obscuráne an manifesta? Vtram dixeris, fugant & fugiunt se se quæ contraria sunt, non autem congrediuntur. humorum autem propulsio (qua s. opinio hæc fulcitur) quæ assumpto fit medicamento, expultricis naturæ viscerum opus est non medicamenti. hoc enim licet naturæ nostræ infensum nobis suis qualitatibus ac substantia sit molestum, absurdum sit si quis veluti sensu aliquo præditum persequi humores dicat. Superest iam eorum placitum qui purgatri

D cis facultatis causam occultam proprietatem esse profitentur, quam etiam qualitates occultas, formam specificam, & proprietatem totius substantiæ appellant. Hanc autem derident multi, & turpissimæ ignominiæ vertunt medico qui sensitiuus est, vt aiunt artifex, ad obscuras causas confugere, apertis & quæ sensui euidentes sunt relictis. præsertim autem castigatione dignus hic author quibusdam visus est, quòd a Gal. discesserit, qui gẽtianæ brassicę marinę & pæonię vires ad manifestas qualitates referre conatur, & nusquam specificam formam agnoscit. q̃ etiam nulla noua ratione illius dogma euerterit. alij etiam incõstantię ipsum damnant, quum alibi de rosa verba faciens, primam eius operationem. i. purgationem, sui

oblitus, in amaritudinem referat. Addere vero etiã horũ
calũniỹs has rõnes nos possimus. Si à specifica forma pur-
gandi vis medicamẽtis inest; vt purgẽt, nisi seruata illorũ
forma, inesse illis nõ potest. atqui quũ ea offeruntur, vita
vegetali atq; adeo forma propria exuta offeruntur, ne de
cõtusione tritura & coctione aliquid dicã, a quibus ex pro
pria natura miris modis exuũtur. formę ergo ascribi pur-
gatrix vis nõ potest. Adde hoc etiã, quũ eadẽ purgãdi v-
nius humoris facultas pluribus insit; si mõ vis hęc formã
sequitur, vna etiã horũ omniũ erit forma. quod est absur-
dũ. Recitauimus hactenus varia de ꝓposita questione pla
cita, & ostendimus quo pacto cõfutari aut certe labefacta
ri posse signula videantur. Reliquũ nunc est, quando & nos
in hanc arenã descẽdimus vbi pro vna veritate & pro bo
norũ authoritate decertamus, vt ipsi quoq; quid in tã mul
tiplici cõtrouersia sentiamus, libere explicemus. Natura-
lium ergo rerũ quũ varię sint actiones, eas quidẽ quæ toti
alicui speciei sunt cões, ex intrinseco rei principio initium
ducere inter omnes cõstat quibus de natura studium fuit.
sunt vero intrinseca rerũ principia materia & ꝓ forma. quã
ob rẽ quia attractio quę à purgatorijs fit medicamentis ex
earũ est serie quæ in tota sunt specie, est enim omni rhabar
baro & scãmonio vis expurgãdæ bilis, illud primũ omniũ
est inquirẽdũ, sit ne huius de qua hoc in loco agimus, attra
ctionis facultas materię ascribẽda an formę. profecto ma
teriã sequuntur quæ primas elementorũ vires sequuntur,
sunt enim hæc & stirpiũ & medicamentorũ & rerũ infe
riorum omnium materia. atq; sicuti duo hęc in elementis
sunt ipsis, qualitates ac substantiæ, & ex permistis quidẽ
qualitatibus temperamentum, ex substantiỹs vero fit quę
mistio nuncupatur: ita etiã qualitatũ cõfusionẽ primę qua
litates, alterã vero quę in substãtiỹs secundæ & alię dein-
ceps sequuntur, sapores, odores, crassitudo & tenuitas quã
modum substãtię vocãt: ad hęc ceterę eę quę in corporibus
sunt oĩbus generatim quę sensui patẽt, & vulgo sensibiles
nũcupãtur. Ex his diuersæ & plures ĩ rebus actiones fiunt,
sicuti & eę sunt diuersę ac multę: & ascribi oẽs materiæ
solent, nõ quidẽ ꝙ has ipsas materia edat actiones, agit e-
nim nõ materia nõ forma sed cõpositum: verum materiæ
ascribuntur ꝙ ipsi maxime sunt affines. his exceptis ceterę
omnes quotquot in naturalibus reperire est rebus, for-
mam sequuntur & propriæ nuncupantur, quòd formæ ex
quibus emanant sunt propriæ. hæ etiam obscuræ atq; abdi
tę dicit solent quòd ignotum & sensui minime conspicuum
habent initium. sunt. n. ignotæ rerum formæ, & propterea
quæ formas sequuntur actiones quoque ignotæ, sicuti quæ
ascribuntur materiæ & communes sunt & patentes ꝙ ex
elementis & cõmunibus & quæ sensibus patent originem
ducant. Hæc quũ ita se habeant, vtrũ nam principiũ medi
camentorũ attractio sequitur? materiámne an formam? Ex
ijs quæ supra attulimus vtrum horum opportunũ actionis
huius initiũ sit difficile statuere vllus potest: quãdo et eorũ
qui tẽperamẽtis ac qualitatibus sensilibus. i. materiæ ipsi,
& eorũ qui formæ id acceptũ referunt depressa opinio vi-
detur rationibus varijs. Est tamen, sententia nostra, res for
mæ ascribenda nõ materię si rẽ perpendamus. Nanq; si na
turã in collocandis atq; agẽdis rebus sapiẽter se se gerere
verũ est, actiones quæ cões sunt cõem causam sequi etiam
oportet, & proprias propriã. Est aũt cõis rerũ causa mate
ria, ꝓpria vero sua cuiusq; rei. scãmonij ergo actionẽ qua
bilẽ & agarici qua pituitã & epithymi qua bilem atram

E non autẽ humores alios expurgat, quæ horũ propria est, nõ
etiã medicamentis omnibus cõis, formæ putarim merito
ascribendã, formæ inquam nõ cõi. i. genericæ qua purgato-
ria omnia vi purgandi prædita sunt, sed specificę qua &
singularem quendã humorem & ex certa quadã corporis
regione vnumquodq; trahere natura insitũ habet. Neq; igi
tur temere vis hæc, quæ purgatorijs inest medicamẽtis, eo-
rum proprietas nuncupatur. etsi. n. quæ vere propria sunt
vni & omni & semper conueniunt, pituitam vero & bilẽ
vtranq; & serosos humores plura sunt quæ expurgant: nõ
est tamen vt facultatem hanc inter cõmunissima accident-
tia reponamus, quæ & omnibus speciei indiuiduis & per-
petuo inest, sed dignanda est proprij quamuis non omnino
legitimi, nuncupatione. Illud verò etiam constare existi-
mo, nõ falli eos qui totius substantię proprietatem hanc ap
pellant, quũ actiones vere ex cõposito corpore non ex ma-
F teria aut forma emanẽt. Ad hæc etiam, quũ philosophorũ
testimonio propriarũ formarũ prouentus in inferiora om-
nia ex cœlo (Plato mundi animã, Aristoteles naturã vni
uersalem, Auicennas datorẽ formarũ seu colchodeam vo
cat) ortũ suscipiat, sol nanq; & homo hominẽ gignit: non
est de Mesue admirandũ, qui medicamentũ quatenus tale
i. formæ gratia quæ profecto rei cuiq; largitur vt hoc ip-
sum sit quod quæq; est, & ex cœlesti vi quæ impartitur for
mas, purgandi vires obtinere medicamenta profitetur. Ita
que suscipienda laudandaq, in primis Mesuæ quidẽ sũia
videtur. cũ hac tamẽ si eorũ quoq; opinionẽ coniungi posse
dixero qui cõsensum inter medicamẽtũ & humores attra
ctionis causam ponunt, nõ diffido ipsum quoq; Mesuen as-
sensurum. Sed ascribenda attractio hæc similitudini, non
veluti effectrici causę est, verũ vt causæ quæ sine qua non,
solet nũcupari: ita vt ipsa quidẽ actio primũ cœlo accepta
G referatur, è cuius sinu & formæ & formarũ proprietates
emanãt: proxime autẽ formæ aut corpori per formã ascri
batur, sed nõ tamẽ nisi interuẽtu similitudinis perficiatur.
hoc Mesuen nõ detrectaturum arbitror, qui si similitudi-
nẽ reprobat, vt effectricẽ causam reprobat, non vt causam
qualẽ nos dicimus. quę quidẽ res si à Gal. forte fortuna ita
vt nos scribimus fuit intellecta, non recte faciunt recẽtio
res qui ab illo discedunt. Neq; vero ad medicamẽti attra
ctionẽ sola necessaria est similitudo, verũ quia nõ sine ca-
lore reserari meatus possunt per quos attractio fieri dẽt, ha
bebit ipse quoq; calor causę sine qua nõ, rationẽ, sicuti etiã
substantiæ medicamẽtorum tenuitas, causæ cum qua, expe-
ditius purgatio fiat, rationẽ subit. amaritudo vero acrimo
nia & sapores vno verbo oẽs in purgatione indigni sunt
causæ nomine: sed maioris dũtaxat aut minoris caliditatis
H aut substantię crassitudinis tenuitatisue sunt signa. & hęc
quę nam incidendo penetrando abstergendo magis valeãt
docere possunt. Hęc igitur de attractionis medicamentorũ
causa sint dicta. Ceterum si res ita se habet, quid ad ratio-
nes quibus & similitudo & proprietas hęc supra impro-
batur? Difficiles eæ profecto semper visæ sunt nobis: pau-
cis tamen, quũ primo loco de similitudine obijcitur nõ ma
iorem esse rationem vt medicamentum humores trahat
quàm ab ijsdem trahatur, probatur q, vires (quod Gal. ait)
in medicamẽto non esse maiores quàm in humoribus, quã
do non semper trahunt medicamẽta, sicuti neq; semper ma
gnes ferrum trahit; id satisfacere posse pro Gal. videtur,
quod licet quandoq, frustrẽtur medicamẽta expectato euẽ
tu, plerunq; tamen expurgãt, quod argumẽto est ea humo

res

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-170803-p0026-0
DFG

res superare.quanquã interdum etiam superantur ob natu
A rę illius qui assumpsit robur. Fulcitur ergo Gal. cõiectura
quotidianę & ordinarię, (vt ita dicã) obseruationis testi-
monio. Quòd autem trahant medicamenta vt humoribus
fruantur, cui mirũ? vt fruuntur, inquã, vt frui magnetem
ferro aiunt, non veluti alimẽtis fruuntur quę viuunt. atq;
ignoramus certe quis humorum vsus ipsis sit medicamen-
tis, ignoramus etiam quę perfectio humoribus ex eo con-
gressu adueniat; non ob id tamen contentiosius despiciẽda
hęc res est nobis quos naturę magisterium consiliũq; latet
de rebus multis. Sed quid ad Auicennã negantẽ similitu
dinis gratia vllam fieri attractionẽ, quando ferrũ ipsum-
met ferrum, & aurũ aurum traheret? Conciliauimus hos
magnos inter se viros alias. nunc autẽ vt huic loco satis-
faciamus, illud aduertẽdũ putamus, sicuti similia ea sunt
quę aliqua in re cõueniunt, simile.n. Plato esse ait cui ali-
quid idem accidit; ita, eadẽ dici quę in omnibus cõueniũt.
Improprie autẽ quę similia sunt, eadẽ dicas: & quę eadẽ,
similia. Trãsferri tamen similitudinis vox ad ea quę idem
sunt, quandoq; solet, quę certe quũ conueniant in omnibus,
tã similia videntur vt nihil magis. ita bos boui, homo ho-
mini simillimus interdũ dicitur, licet improprie. idẽtitas.
n. hęc potius est quã similitudo. nos identitatẽ hanc alias
similitudinẽ exactã vocabamus quia nihil desit quin cõue
niat: rectius autẽ impropriã similitudinẽ nũc dixero. Aui
cennas igitur impropriã similitudinẽ. i. idẽtitatẽ negat at
tractionis causam esse, ferro.n. ferrũ traheretur & auro
Cap. 27. aurũ; propriã vero non negat. ita & Gal. impropriã illã 3.
de simpl. med. fac. renuit attractionis esse causam eodẽ fer
ri allato exẽplo, propriã autẽ ascribit. atq; hoc pacto idem
duo ij medicinę primates sentiũt. Ergo obiecta ratio nihil
aduersus nos facit qui de propria similitudine nõ de idẽti
tate verba facimus. merito igitur ferrũ ferro simile esse
Gal. nõ assentitur, quod idẽ specie est. & merito etiã erro-
ris taxãdi sunt recẽtiores Gal. hac de re accusantes. si.n. si
mile, id est cui aliquid idẽ accidit: non tamẽ cui omnia ea-
dẽ accidũt similia sunt, sed eadẽ. quod autẽ homo homini
similis vulgo dicitur, quod obiciũt: accidẽtiũ externorũ
præsertim, figuræ coloris magnitudinis aut etiã actionum
gratia similitudo ea spectatur, quod hęc quũ toti spẽi com
munia nõ sint, duobus tamẽ his cõueniãt: sed quod ad sub
stãtiã atq; adeo materiã ac formã pertinet, idẽ homo homi
ni semper dici solet, nõ similis. At vero, vt quę de specifi-
ca formare obstare nobis videbãtur, expẽdamus, primum
quidẽ quod Mesuen damnãt quia à Gal. discedat referente
ad manifestas causas omnia, & specificã formã negligẽte:
quod etiã nullã aduersus Gal. promat nouã rationem; hoc,
inquã, æqui ac docti iudices nullius æstimabũt. Philosophi
phi & ingenui fuit nullius authoritate seduci, quin quod
D sentiret libere proferret. neq; autẽ quãuis Gal. brassicam
marinã gẽtianãq; manifestis qualitatibus agere scripse-
rit, amaritudo tamẽ aut alius vllus sapor purgatoriæ fa-
cultatis causa sunt, sed signa tãtũ quali substãtia, modo sub
stãtiæ, calore ac siccitate medicamẽtum cõstet: dein vero,
quãtũ incidẽdo attenuãdo aperiẽdo abstergẽdo ualeãt. pur
gatorię vero facultatis tãtũ abest ut cause sint; vt neq; etiã
perpetua sint signa, quãdo infinita sunt amara, acria, salsa,
acida quę eiusmodi vi carẽt. Sed esto etiã vt aluũ subdu-
cat marina brassica amaritudinis ac salsedinis ratione, &
gẽtiana quia amara est expurget; quid tamen in reliquis
ꝓpemodũ infinitis medicamẽtis similiũ actionũ sit causa,
neq; Gal. expressit, neq; eius emulatione ex manifestis cau
sis sumi pot. iure ergo neglecta etiã Gal. sentẽtia cõem af-
fert Mes. purgatorijs omnibus causam, specificã formã. quã
quidẽ quia obijciũt fuisse à Gal. ignoratã; vt demus illis spe
cificæ formæ nomẽ fuisse ab eo suppressum qui formã inter
causas nunquã agnouit, vt bene fatẽtur docti & in illius
libris versati viri; nõ is tamẽ substãtiæ proprietatẽ, quę ea
dẽ cũ specificæ formæ facultate res est, dissimulauit, cũ in
reliquis, tũ in purgatorijs. id quod ob peruicaces mõstrare
iã aggredimur. Primũ quidẽ 6. simpl. med. facultates ait
medicamẽtorũ alias ratione alias experiẽtia dignosci, ra
tione quidẽ quę calfaciẽdo refrigerãdo humectãdo exsiccã
do: sola vero experiẽtia quę totius substãtiæ proprietate
afficiũt. Hoc ipsum affirmãs li. 9. facultates ait quę proprie Cap. de lapi
tatis totius substãtię ratione insunt, à methodo ac ratione dibus.
esse alienas & per solã experiẽtiã dignosci. Hic etiã lapi
B des dicit vires partim secũdũ effectrices qualitates habe
re, partim secũdũ totius substãtię proprietatẽ. Quid autẽ
per effectrices qualitates intelligat, lib. 10. explicat prio à princip.
rũ librorũ summã colligẽs in hęc verba. ostẽsum est (ait) me ,,
dicamẽta quę effectricibus nominatis qualitatibus agũt, ,,
nẽpe caliditate frigiditate humiditate & siccitate, harũ ,,
mistione effici acerba austera salsa salsuginosa amara a- ,,
cria dulcia, pręterea extergẽtia repercutiẽtia attrahẽtia ,,
emolliẽtia vrẽtia sceptica crustica, ad hęc secũdũ alias a- ,,
ctiones magis speciales sarcotica synulotica glutinatoria ,,
tũ fistularũ tũ vlcerũ aut carnis excrescẽtiã detrahentia. ,,
hęc Gal. quę verba idcirco attulimus, vt ne quis purgato-
riã de qua hic agimus facultatẽ referri ad effectrices qua
litates eo authore cõtẽdat. Scribit vero etiã lib. 9. iaspidẽ
virẽtẽ vere proprietatẽ habere vt stomachũ & os vẽtris
adhęsu adiuuet. Et li. rursum decimo, quòd stercus bubulũ
C apũ & vesparũ morsibus prosit, fieri posse ait, vt à proprie
tate totius substãtiæ eueniat. Ita etiã li. 11. cãcros exustos
quod rabidis succurrãt opinari se ait fieri ex totius substã
tię proprietate cõtra Pelopis doctoris sui sentẽtiã. At nõ-
ne etiã 8. de comp. med. per loca, ecclegma ex cochleis ab
Asclepiade paratũ, & lupinũ iecur in hepatis affectibus Cap. 8.
prodesse ait nõ secũdũ vnã aut alterã qualitatẽ sed secũdũ
totã substãtiãq; propterea medicamẽta hęc probat ut beni
gna, quę & nutrire iecur possint, & media quũ sint iuxta
calidi ac frigidi oppositionẽ, omnibus intẽperaturis cõue-
niãt, ut quę ex substãtię proprietate cõmoditatẽ de se exhi
beãt neq; calidas aut frigidas intẽperies lędãt. Quã ob rẽ
quũ hęc ita se habeãt, patere existimo, qui ex Gal. sñia pro
prietates refutãt nõ satis strenue in eius libris esse versa-
tos. An vero purgatoria medicamẽta proprietate substã-
tię an manifestis qualitatibus agere idẽ existimet, ex 6. de
D simpl. med. fac. planè cõstat. quũ.n. medicamẽtorũ qualita Cap. de a-
tes alias rõne alias experiẽtia disci doceret, atq; experiẽ brotano.
tia eas dignosci q̃ ex totius substãtię ꝓprietate: inter has ,,
q̃ tota substãtia, sunt, ait, quę facultatis deleterię & dele ,,
teriorũ alexiterię, & purgatorię. Quod si quis obijciat nõ
esse hoc ipsum legitimũ Gal. iudiciũ, quũ. 3. de simpl. med. Cap. 17.
fac. & alibi passim, purgatoria, totius substãtię similitudi
ne humores allicere tueatur: Nobis equidẽ licet uarijs uoci
bus Gal. vtatur: idẽ tamẽ ꝑ substãtię totius similitudinẽ,
totius substãtiæ proprietatẽ & totam substãtiã significare
prorsum uidetur. id huius rei cõiecturã nobis prębet, quod
quum 6. & 9. de simpl. med. fac. de abrotano & lapidi-
bus verba faciens, quę à proprietate totius substantiæ
agunt,

agunt, à methodo ac ratione esse aliena, solaq; experientia agnosci asserat: hoc rursum idem 6. simpl. alysso & reliquis ijs ascribit quæ totius substantiæ similitudine agunt. Itaque (quod pollicebar) patere ex his potest & specificę formæ vim, sub diuerso licet vocabulo, à Gal. agnosci, & ab eo Mesuen hac in re non discrepare. quem etiam vt discrepare aliquis contendat, quòd nulla noua ratione refutatam opinionem confutet, quod obijcitur, non admiramur: quando hic ad ea quę medico sunt longe vtiliora trãsiturus satis habuit prętermissa lõgiori disputatione quid sentiat breuissime aperire. Ita vero etiam quod illum inconstantiæ damnent non multi æstimarim. habet certe rosa ex amarore purgandi potestatem, quòd vbi hic euanuerit abijt ipsa quoque facultas purgatoria, sicuti etiam medicamentorum quorumuis aliorum facultas eorum sapore abolito facessit. at primaria tamen purgandi potestas non amaritudini ascribitur, sed rosæ ipsius proprietati. amaror vero aut illius causę rationem subit, quam, sine qua non, appellant; aut ipsa amaritudo. i. rosę partes quibus amaror inest, subiecti locum tenent in quo purgatoria facultas resideat. hæc vero rosæ ipsi sicuti aliis quoque medicamentis totius substantiæ proprietate ac cęlesti inest largitione. iniuste ergo accusant magnum hunc scriptorẽ inconstantię. Quod sequitur magis anxium semper me habuit, ratio. s. tum prior tum posterior quam aduersus specificam hanc formam adduximus. His tamen hęc forte satisfaciant. Ac priori quidem, quum corrupta medicamentorum forma corrumpi & eius actiones oportere affertur. huic, inquam, ita iri obuiam posse existimarim. euulsis certe plantis ac artificium terendi coquendi macerandiue expertis, & vegetalem qua viuunt & formam plane ipsam specificam corrumpi. alioqui. n. adhuc viuerent. dispositiones tamen quę formæ instrumenta erant, cum materia ipsa supereresse, veluti & figura & color & sapor & plura alia supersunt. cum his ergo & potestatis illius quæ formę inerat seminaria quædam remanere, ab hisque formæ actiones prodire non est à ratione alienum. imò (quod quis forte magis admiretur) insunt rebus agendi vires nonnunquam, quæ tamen nisi diffracta earum substantia nunquam sese exerant. id in magnete videre est, qui vbi ob situ quo obduci solet, vel aliam quamuis ob causam trahere desiit, confractus nouas veluti vires trahendi acquirit. ita ferè & in purgatoriis medicamentis. hæc. n. disrupta eorum substantia atque adeo forma tum vegetali tum propria exuta, sæpe magis purgando valent quam integra & viuentia. huius quod dicimus, lathyridis semen exemplum præbeat, quod integrum deuoratum minus quàm confractum detrahit. cuius sanè rei non obscura est ratio. soluuntur. n. vincula veluti quædam vbi frangitur, & in partes omnes innato calori nostro aditus patent, ad quem. s. vnum pertinet, vim quæ potestate medicamento inerat, in actum (vt aiunt) ducere. quam ob rem quamuis purgatio specificam formam sequatur, corrupta tamen forma, vt actio hæc obeatur quæ formam sequitur, (licèt non unius sit formæ sed animalis etiam caloris) hoc pacto fieri posse arbitramur. Quod autem sequitur. si specificam formam purgatio sequitur, quia eadem vnius detrahendi humoris facultas pluribus inest, vna etiam erit plurium specifica forma, quod est absurdum: hoc, inquam, ita dilui posse existimo. differt bilis a bile, pituita à pituita, & plures humorum singulorum sunt differentiæ, quando alij tenues alij E crassi viscidi calidi acres magis aut minus. ergo licet eundem specie humorem plura detrahant; non eiusdem tamen modi, sed neque eadem copia eadem violentia ex eodem loco eadem noxa aut commodo aut eodem temporis interuallo medicamenta hæc detrahunt. hæc igitur à specifica forma fortasse etiam prodeunt, quamuis non ignorem ex materia & substantiæ modo eadem quoque variare. conueniant ergo in eodem ducendo humore & eadem actione medicamenta plura: non conuenient tamen in agendi modo & reliquis. id quod requiri dixerim vt aliqua eadem constare forma dicantur. Sed esto etiam vt eadem actio sit, & similis planè humor eodem prorsus modo à pluribus trahatur: non id tamen sequi putandum est vt eadem specifica forma sit multorum, quando rha barbari actio quabilem detrahit, etsi rha barbaro omni & semper conuenit; illius etiam maxime propria non est, quæ vni illi cõueniat: F sequitur tamen non minus specificam formam, quàm quæ maxime propria est actio. quam quidem, si quis quę nam sit nos roget, fatemur ignorare & credimus ignorari, sicuti et aliarum plurium rerum formæ ignorantur. Atque hic obiectarum rationum, & in summa propositę quęstionis sit terminus.

MEDICAMENTVM prætereà humores purgat, sed natura eius actionem inchoante, limitante, dirigente. Nam ipsa humorum vacuatio naturæ est opus, sed per medicamentum ipsius naturæ artificis instrumentum. Natura enim (vt ait Hippocrates) morbos curat, non medicus: medici vero munus præcipuum est, G naturæ instrumenta suppeditare.

Medicamẽtum qualitatibus sensui alicui manifestis similẽ sibi humorẽ non trahit, sed tota sua substantia seu qualitate occulta similem.

COSTAEVS.

ACTIONIS, qua medicamentum humores purgat, principium esse ait naturam; eam enim inchoare, limitare, & dirigere; ita vt, euacuatio sit opus naturæ per medicamentum vt per instrumentum. Id vero Hippocratis testimonio probat qui curationem esse ait naturæ opus, non medici. Est igitur hoc loco ut dubites. Attractio. n. humorum non est naturę corporum nostrorũ gubernatricis opus, sed illius quę forma est medicamentorum. Quin etiam Hippocratis sententia videtur importune afferri. Probandum est, non medicamentorum, sed corporum naturam curare morbos: At quod ex Hippocrate H adducit, non est de medicamentis, sed de medico. Profecto quum purgatio duplex quædam actio sit, tum humorum ad ventrem attractio, tum eorundem extra corpus propulsio; humorum quidem attractio nõ est naturæ corporum actio, sed naturæ ac formæ medicamentorum; at non tamen sine corporis natura, id est, innato calore; qui vim in medicamẽto sopitam excitat, & in actum deducit: attracti vero ad uentrem humoris persecutio & expulsio vnius est corporum naturæ opus, allectos ad ventrem humores ob sui vel copiam vel qualitates molestos non ferentis. Itaque siue attractionem siue excretionẽ spectemus in purgatione, vtriusque causa nõ perperam corporis natura constituitur, licet vario modo; expulsionis quidem absoluta & vera &

vna

vna citra vim vllam medicamenti; attractionis vero τὸ συνκαί τιον, seu adiutrix causa, & in earum genere quę causæ, sine quibus non, vocantur: quum vera primariaq; eius causa sit medicamentorum forma ac natura. Hactenus igitur de medicamenti purgantis actione recte Mesues. sententia vero quę ex Hippocrate affertur, licet ab interprete hoc loco quasi de medico prolata afferatur, uere tamen quũ ab Hippocrate ipso 6. vulg. mor. sect. 5. id in vniuersum proponatur, naturas morborum esse curatrices; de natura, non vt medico tantum, sed etiam vt medicamento comparatur, intelligi debet. propterea q; opportune adducitur ad probandum, quòd purgatio non sit medicamenti actio, sed naturę. ita vt meo periculo audeã affirmare, fuisse à Mesue, nudam, vt ab Hippocrate proponitur, sententiam hoc loco positam; licet, nescio quo casu medici quoque fuerit interposita commemoratio.

QVÆ si opus naturæ, aut quantitate, aut qualitate malefica vincunt, immoderatius agunt magno naturę incommodo. quantitate verò si plus quàm natura exigit, vincant, noxam multitudinis inuehunt. si autem qualitate malefica, non multitudinis modo noxam, sed aliam quo que atque aliam excitant.

MONDINVS.

Vtrum medicina euacuet humorem per suã complexionem.

CIRCA hæc est dubitatio vtrum medicina laxatiua euacuet humorem per sui complexionem quã habet, & præcipue calidam, quia de hoc est magis dubium, & videtur ꝙ sic. per id medicina habet euacuare humorem per quod attrahit ipsum: sed medicina laxatiua attrahit ipsum humorem per caliditatẽ: quare &c. maior est nota eo quod per hoc medicina habet euacuare, quia attrahit. Minor apparet, eo ꝙ caliditas est vna ex causis attractiuis, vt ponit Aui. primo cañ. Fen. prima, cap. de virtutibus naturalibus ministrantibus, capitulo etiam de operationibus. Item, si medicina euacuat humorem resoluendo per sui caliditatem: ergo etiam per caliditatẽ euacuat ipsum exoluendo. sed ita est: ergo &c. Maior est nota, eo ꝙ euacuatio per solutionem humoris & eius resolutionem non differunt nisi secundum magis & minus: etiam ex alio differunt, quia vna est manifesta vt illa quæ fit per solutionẽ; alia occulta, vt illa q̃ fit per resolutionẽ. modo magis & minus manifestũ & immanifestum non diuersificant principium operationis. In contrariũ est Mes. & alii auctores. Dico ad hoc ꝙ principium per quod medicina euacuat humorem est duplex. s. generale, per quod medicina. s. est euacuatiua nõ determinati humoris: aliud. s. speciale, per quod medicina est euacuatiua determinati humoris à determinatis locis, per determinata loca, illum etiam attrahens ad determinata loca. Modo si loquamur de primo principio operationis medicinæ solutiui, dico quòd ipsa potest talem euacuationem facere per complexionem, & præcipue calidam. Ratio est ista, si medicina solutiua per sui complexionem calidam potest introducere vacuum in corpore, tunc ipsa per suam complexionem calidam potest humorem euacuare: sed ita est: quare &c. maior est nota, eo ꝙ medicina solutiua cum euacuat attrahendo, inducit vacuum non absolute, sed vacuitate substantiæ. minor apparet, eo ꝙ de ratione calidi est dilatare & aperire & inanitionem inducere, & sic per consequens vacuum inducit & facit loca vacua. Sed si loquamur de secundo principio per quod medicina solutiua humorem euacuat: dico quòd ipsa non euacuat per complexionem, sed per formam specificam. Ratio est ista. omnis operatio quæ est appropriata alicui rei & nõ est communis, fit à propria specie siue specifica forma: sed medicina solutiua hoc modo assumpta est appropriata determinato humori, illum etiam euacuans à determinatis locis: quare &c. maior est nota auctoritate Platonis. omne. n. quod mouetur, à specie & à specifica forma sua agit quod ei proprium est. minor est de se nota. Item hoc confirmatur sic. si medicina solutiua euacuat determinatum & proprium humorem ipsum euacuãs per complexionem, aut ipsum euacuaret per similitudinem quam habet ad ipsum in qualitate prima, aut per contrarietatem quam habet ad ipsum: non potest dici ꝙ ipsum euacuat per similitudinem quam habet ad ipsum in qualitate, quia tunc hoc modo turbith euacuaret choleram & non phlegma, cum sit ei contrarium, quia phlegma est frigidum & humidum. item etiam epithymum cum sit calidum & siccum non euacuaret melancholiam, sed choleram, quia cholera est calida & sicca: & violæ, & serum caprinum, & succus attriplicis non euacuarent choleram, sed phlegma, cum sint frigidæ & humidæ, sicut phlegma. Nec etiam potest dici, ꝙ medicina solutiua euacuat determinatum humorem per contrarietatem quam habet ad ipsum in qualitate: quia tunc hoc modo scammonea non euacuaret choleram nec etiam rhabarbarum, cum medicinæ non sint contrarię in qualitate ipsi choleræ, sed ei similes. Et per hoc soluuntur rationes, eo ꝙ omnes concludunt ꝙ medicina solutiua respectu operationis suæ communis, quæ est euacuare quemcunque humorem indeterminatum, potest hoc facere per sui calidam complexionẽ, vnde & hoc concessum est, nam medicina solutiua calida euacuans indeterminate humores illos euacuat per sui caliditatem, resoluendo & euacuando humorem quemcunque, & non determinatum, per sui caliditatẽ.

Responsio. Principium quo medicina euacuat duplex.

COSTAEVS.

PVRGANTIA medicamenta non modo immoderata copia aut malefica qualitate incõmoda sunt, sed etiam parcius sumpta. quare ad prioris huius libri calcem id quoque docebit, quomodo symptomatibus succurras quæ ex medicamento imbecillo proueniunt. Sed non est vt hic alieno loco omnia commemoret. sat. n. est maximorum incommodorum meminisse, quorum gratia de malignis benignisq; medicamentis disputationem hanc instituit.

QVAPROPTER tua interest, medicamenta malefica à salubribus discernere. Sunt autem malefica quædam toto genere, quorum virtus estrænis omnibus est cognita, vt thymelæa, lathyris, euphorbium. Alia [specie tantum, vel accidente maligna, eaque] in multis generibus, vt turbith nigrum, agaricus niger, & durus, colocynthis vnica in planta sua, scammonium Sceniticum, à quibus [ambobus] abstine, nisi si quando in magnis affectibus est his [prius omni ratione correctis] vtendum, id que cum formidine, & præmeditatione. Morbis enim quibusdam venena sunt salubria, vt vipera elephãtiasi, malefica tamen vi eius modis omnibus, vel

Gal. initio lib. 11. simp.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170803-p0029-0 DFG

ne libris ad Glauc. & in vlu theriaces.

vel ſaltem quibus nobis licet, facta, vt dicemus [lib. 2.] quanquam ſtolidi quidam, præcipue ruſtici, & idiotę improuidi, quibuſdam non caſtigatis vtuntur, ignorãtes quantam noxã principibus corporis partibus, & virtutibus ipſum corpus gubernantibus, afferat venenum illorũ perniciosum. Neque tãtum hæc deleteria ſunt vitanda, ſed omnia quoque alia medicamenta etiam benigna, niſi dicendæ poſt (ſi per Dei gratiam mihi licuerit) conditiones obſeruentur. Huius autem obſeruationis in ſecernẽdo medicamẽtum benignum à malefico, methodus verſatur in conſideranda medicamenti ſubſtãtia, temperatura, ſequentibus temperaturam qualitatibus, tactilibus, olfactilibus, guſtatilibus [vſilibus] rẽpore, loco natali, vicinia medicamenti alterius, numero. Ab his enim ſingulis differentijs diſpoſitio quædam propria & virtus medicamento acquiritur. Porro à medicamenti ſubſtantia differẽtiæ ipſius ſunt obſeruandæ, ſi id eſt leue, graue, rarum, dẽſum, craſſum, tenue, lentum, friabile. Per quę, medicamenta bona à malis ſecernere poteris. Quę enim ſunt inter hęc facultate valentiora, qualia ſunt omnia trahendo purgantia, quo ſunt leuiora, eò meliora, grauiora autem maligna. Ob id ſcammonium, colocynthis, euphorbiũ, agaricus, nitrum, aloë, & ſimilia leuiora ſunt præſtantiora: ſimiliter quæ humiditatẽ habent excrementoſam, vt agaricus, turbith, polypodium, ſcilla, & ſimilia leuiora ſunt meliora. Cõtra verò grauiora ſunt meliora, vel quibus coacta eſſe ſubſtãtia debet (vt hermodactylus, iris, cyanus lapis:) vel quæ comprimendo purgant (vt myrobalani, ſpecies rhabarbari, abſinthiũ, abſinthij ſuccus:) vel quæ leniendo purgant & lubricando (vt pſyllium, pruna, myxa, caſſia fiſtula:) vel quæ plena, non vacua eſſe oportet (qualia caſſia fiſtula, tamar Indi, balanus myrepſica, cnicus, granum nil, [quod cartamum Indicum quidam vocant,] ricinus, & ſimilia. De ſubſtãtia rara, vt de leui: de denſa, vt de graui eſt iudicandum. Quamuis autem ſubſtãtia friabilis eſſe tenuis, & lenta eſſe craſſa videatur, tamen id abſolute verum non eſt, cum ex his quę ſubſtantia ſunt craſſa, (vt idem de tenui pollicear) quædam lenta & friabilia inueniantur, vt ex aloë craſſa quædam lenta, alia friabilis. Idem oſtẽdunt ſcamomnium, ſalis ſpecies, & nitrum. Sagapenum quoq; eſt lentum & tenax, ſed tenue: & item anacardus. Non eſt igitur vnicum tenue, friabilis cauſa, neque craſſum lenti & glutinoſi, ſed à puritate & impuritate cum tenuitate, & craſſitie iuncta, proficiſcitur vtrunque: nam purum & tenue eſt friabile, impurum ſimul & craſſum, eſt lentum. Prętęr illa quorum eſſentia eſt humida lenta, vt iaccharum candum, manna. In his enim quod purius & tenuius, eſt glutinoſius.

Medicamentũ, vt materias cæteras ſalubre faciunt, quãtitas, qualitas, tempus. Galenus li. 1. & 4. ſanitẽda & alibi paſſim.

1 Qualitates hatactiles, quia ſubſtãtię p ſe non ſenſibilis ſũt proximę, ip ſũ declarãt. Quæ medicamẽta purgantia commendant. Abſtergẽdi potentia, & 2 guſtu aſperitas & lenitas, notę ſũt medicamenti conſiſtentia, li. 9. ſimpl. initio, in terra Samia.

2 Effecta eſſi eſſordine primo, & ſecundo. Tertio. Quarto.

A temperamento autem, medicamentum benignum à malefico ſecernitur, per qualitatũ primarum actiones & opera: nam medicamẽtum calidũ, calfactio, tenuatio, rarefactio, maturatio, coctio, viarũ apertio, & ſimilia effecta propria conſequuntur: ſi autem immodice calidum eſt, morſus, deſiccatio, ſitis: ſi deniq; eſt ſumme calidum, inflammatio, vſtio cauterij modo, morſus acerrimus, attractio immodica, conſumptio, phœnigmos: id eſt, rubrificatio. Frigidum autem, frigefactio, cruditas, & ſimilia: ſi ſupramodum eſt frigidum, coarctatio, obſtructio: ſi extreme frigidum eſt, congelatio, [ſtupefactio] mortificatio. Humidum item, humectatio, lubricatio, lenitio, glutinatio: ſi admodum eſt humidum, obſtructio, flatus, nauſea, & ſimilia [præſertim ſi etiam glutinoſum ſit:] Siccum denique, ſiccatio, rarefactio, emaciatio,] coarctatio cauitatum,] cutis corrugatio, cutis ſciſſio, furfuratio, & ſimilia. Propterea medicamentum purgans calidum, ſalubrius frigido: humidũ ſicco, & etiam calido. In ſumma quanto medicamentum eſt temperamento hominis medio propinquius, tanto ſalubrius: quanto remotius, tãto malignius. Quòd ſi qualitatibus his à media hominis temperatura extreme recedat, venenum potius eſt dicendum, quàm medicamentum.

Effecta frigidi, ord. 1. & 2. Tertio. Quarto. Effecta humidi ſicci: plura de his initio, lib. 2. de ratione comp. med. ſcripſimus. Vita enim à calido in humido: mors à cõtrarijs, ob id intempies ſi. ſic. pniciofior, licet alia etiã immodicæ nocent.

Tactus index eſt certus, mollis, duri, aſperi, lenis. molle eſt quod cedit noſtræ carni: durum contra, cui noſtra caro cedit: illud quoque facile patitur, alteratur, corrigitur hoc difficulter. Aſperum quoque à ſiccitate eſt, lene ab humiditate: ob idq; medicamenta purgantia, præſertim virium violentarum, ſunt lenia, ſunt ſalubriora, & alia ſimiliter, præſertim quibus & lenibus & aſperis in eodem genere eſſe cõtingit: aſpera contra. Sic colocynthis, abſinthium, fumaria, elaterium, agaricus, & ſimilia lenia probantur, aſpera improbantur.

5 Sequẽtes tẽperaturam qualitatis. Tactiles alia eo ſubſtãtia ſũt dicta.

Medicamenta bene olentia ſunt ſalubriora, quia odor ille bonus, partes principes facultatum, ceu fontes, roborat, ſpiritus inſtaurat, & facultates animamq; exhilarat: grauis contra: ob id effecta moleſta, & difficilia illi ſuccedũt.

Olfactiles.

Sapor autem præter cætera obſeruandus in indicando medicamẽto purgante ſalubri, aut inſalubri. Nam hic medicamenti virtutem immutat & modice diuerſam facit: hoc autem loco de ſaporibus tantum nobis eſt dicendum, quantum ad diſcernendum medicamentum bonum à malo pertineat, quatenus ſcilicet eos propriæ quædam & puræ diſpoſitiones omnino conſequantur.

Guſtatiles ſapores temperamẽtum certius iudicant, quam odores, colores, libro 4. ſimpl. Effecta ſaporum ſeu temperamẽtorum quæ ipſi ſapores ſequuntur.

Acre enim medicamentum facile inflãmatur, mordet, penetrat, aperit, vrit, vlcerat, flatus diſſipat, tenuat, incidit, ſeparat, reſoluit, è longinquo attrahit, ſiccat, emaciat, ſitim facit: ob hæc omnia cito & valenter agit, & ſua tenui eſſentia amarum medicamentum, & cætera imbecilliter aut tarde purgantia, celerat, & purgantiora reddit.

Acris.

Amarum autem ſiccat, conſumit, vlcerat, aperit

Amari.

aperit orificia venarum, hæmorrhagiam mouet, à putredine vindicat, terget, incidit, torminosum est, conturbat, resoluit, attrahit, sed tardius quam acre: flatus dissipat, sitim excitat, valenter agit, sed tarde, suaque crassa substantia acre obtundit.

MONDINVS.

SCIENDVM vt videamus causam eorum quæ dicuntur in litera. Nam vt ponit G. 4. de simpli. medi. summa. 4. primo cap. & etiam. 2. sapor amarus est post sapore m acutum in caliditate, verum est tamen q̃ ipse dicit in. 3. summa, quòd duplex est sapor amarus, hoc etiam ponit Auer. cap. de modo cognitionis virtutum medicinarum ex saporibus. Vnus est qui generatur ex vstione partium terrestrium subtilium, sicut quando res dulces fiunt amaræ: hoc enim est per vstionem partium terrestrium subtilium quæ in eis sunt, sicut quando mel ex temporis diuturnitate in amaritudinem cõuertitur, sicut etiam contingit de fructibus quando sunt dulces, & postea in processu temporis fiunt amari, sicut contingit de amygdala dulci quando fit rancida. Alius est sapor amarus qui generatur ex vehementi, & forti congelatione facta à frigido, sicut est opiũ quod in sapore est amarum, & est valde frigidum. sicut probat Auer. in 5. sui collectorii. hoc etiam modo contingit in fructibus antequam perueniant ad debitam maturitatem: primo. s. fiunt amari, postea pontici, postea stiptici, postea aceto si. & postea dulces, sicut isto modo est glãs, aut castanea. Modo primus sapor in completione est valde calidus: secundus autem est frigidus. Ideo Mesue de primo sapore amaro hic intelligit, & non de secundo. quod apparet, eo quòd tales operationes quas explicat hic Mesue non competunt sapori amaro secundo modo dicto: nõ enim est verum dicere de opio quòd sit aperitiuũ: imo est opilatiuum, similiter non est etiam cõsumptiuum, & sic de aliis. loquitur hic ergo de primo sapore amaro, qui est valde calidæ complexionis post acutum, generatur enim per solam vstionem partium terrestrium subtilium, quare oportet q̃ vstio in eo suum effectum relinquat qui est caliditas. & ideo iste sapor in complexione actiuarum est calidus, & in complexione passiuarum est siccus. nam iste sapor habet duas conditiones propter quas in eo non est humiditas: vna est, quia non nutrit aliquod animal, eo quòd nutricatio fit ex re aliquantulum delectabili, modo ex amaro puro præcipue non delectãtur animalia: hoc autem non est nutritiuum, quia in eo non est humiditas, quæ sit materia nutrimenti, & ideo non nutrit. & propter aliud, in eo non est humiditas: eo quòd res amara alias res à putrefactione præseruat, & etiam seipsam, vnde in ea nunquam generãtur vermes, & ideo in ea non est materia putredinis, talis autem materia est humiditas, & ideo iste sapor in complexione est siccus priuatus humiditate, & præcipue superflua, tamen non fundatur in substantia sicca ignea, quia in tali fundatur res acuta: sed fundatur in siccitate terrestri subtiliata per adustionem, vt conuenit in re cineritia.

Sapor amarus duplex

Salsi.

SALSVM verò incidit, terget, tenuat, liquat, mordet, à putredine vindicat, conturbat, subuertit ventriculum, & ad vomitum impellit, siccat, sitim excitat, asperat, expurgat radẽdo, aperit, & hæc omnia opera imbecillia & tarda efficit: ob hæc, suamq; mediocrem substantiam, omnia imbecilliter, & tarde soluentia roborat.

A Vnctuosum item lenit, lubricat, laxat, mollit, abominabile est, & nauseabundum, flatus gignit, obstruit. Hæc omnia imbecilliter & tarde perficit, suaq; mediocri substãtia acre, amarum, salsum reprimit. Pinguis.

Dulce lauat, lenit, obstruit, flatulentum est: omnia autem hæc præstat imbecilliter, nec cito, nec tarde, sed in horum medio: acre autem, amarum, salsum quoque reprimit, sed insipidum roborat. Dulcis.

MONDINVS.

IN parte ista Mesue ponit virtutes & operationes saporis dulcis, propter quod est aduertendum vt ponit G. in 3. & 4. de simpli. medi. ponit etiam Io. filius Ser. loco præallegato. sapor dulcis est substantiæ æqualis, temperatus in humido & sicco, declinans tamen ad humiditatem. habens etiam temperatum calorem. quod apparet, nam videmus q̃ res dum perueniunt ad perfectam & temperatam decoctionem fiunt dulces, sicut apparet in fructibus, sicut etiam si perueniant ad superfluam decoctionem sunt amaræ sicut & quando res non sunt perfecte decoctæ non sunt dulces, ideo res perfecte decocta & temperata existens dulcis est, calore temperata, licet sapor dulcis ratione saporis declinet ad caliditatem & humiditatem. hoc ergo viso apparet ratio eorũ quæ dicit in litera. Dicit. n. q̃, dulce est lenitiuũ, lauatiuum, & hoc habet sui humiditate. Oppilatiuum, hoc etiam habet propter sui humiditatem: & ex alio est oppilatiuũ, eo quòd citius attrahitur ab hepate indigestum à stomacho propter sui dulcedinem, eo quod hepar valde delectatur in dulcibus, vnde dulcia quàm plurimum eleuant, id est oppilant splenem & hepar, vt ponit Gal. 13. Therapeuticæ. & propter hanc causam ponit Hip. & cõmentator in tertio acu. quòd vinum dulce est oppilatiuum, generatiuum ventositatum, quia non excedit in calore, & est etiam humidum. Et ponit operationẽ suã debilem. eo quòd iste sapor dulcis est valde amicus naturæ, vnde non agit contra naturam, & ideo medicina solutiua quæ in sapore est dulcis, facit suam operationẽ valde debiliter, & præterea cum medicinis solutiuis effrenibus admiscentur medicinæ dulces, vt scilicet istæ medicinæ effrenes fiant magis benignæ & amicæ naturæ, ita vt ex eis non fiat operatio quæ sit egrediens naturam.

ACIDVM penetrat, aperit, incidit, diuidit, tenuat, terget, densat, asperat, extinguit calorem, cito agit hęc opera: sed in medio valentium, & imbecilliũ est: sua denique substantia tenui acre obtundit, dulci & insipido vigorem addit. Acidi.

MONDINVS.

ADVERTENDVM quòd duplex est sapor acetosus, quidã est sapor acetosus simplex, sicut sapor agrestæ quando appropinquat maturitati, & etiam sicut sapor herbæ quæ acetosa dicitur: alius est sapor acetosus qui simplex non dicitur, & iste est sapor acetosus, qui dicitur sapor acris, qui acumine participat, sicut est sapor aceti. modo primus sapor acetosus fundatur in substantia frigida aquea non digesta nec bene permista cum sicco terreo, vnde quanto plus procedit eius permistio tanto magis appropinquat dulcedini. sed secundus sapor acetosus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170803-p0031-7 DFG

acetosus, nõ solum fundatur in substantia frigida aquea, sed etiam fundatur in substantia ignea, vnde habet aliquas partes subtiles & illas propter putredinem quę est in eo dũ ex dulci ad acetosum permutatur. modo Mesue loquitur hic de primo sapore acetoso, non de secundo, eo quod hæ medicinæ nõ bene possunt applicari acetoso dicto secundo modo.

Acerbi, austeri.

STYPTICVM intro cogit, densat, repellit, roborat, diuisa glutinat, tarde & imbecilliter agit, suaque substantia crassa prędicta omnia obtundit, quibus acre, [amarum,] & salsum vires addunt.

MONDINVS.

ADVERTENDVM vt ponit Ga. in 2. de simpl. med. 3. cap. ponit etiam Serap. sermone. 2. primi lib. præal. cap. sapor stipticus est frigidæ & siccæ complexionis, fundatur enim in substantia terrestri crassa valde, & per hoc differt à sapore amaro, eo quòd licet vterque sit siccæ complexionis, tamen vnus est cum calidita te, vt sapor amarus, alius est cum frigiditate, vt sapor stipticus. differunt etiam in alio, eo ꝙ sapor stipticus fundatur in substantia terrestri crassa nec vsta nec incinerata, sed congelata, vt ita loquar. sed sapor amarus fundat in substantia terrestri subtili vsta, & per hoc conuenit in complexione sapor stipticus cum pontico, quia vterq; est frigidæ & siccæ complexionis, licet ponticus sit maioris stipticitatis & crassitiei quàm sapor stipticus.

Insipidi.

INSIPIDVM denique lubricat, flatulentum est, obstruit, dẽsat, cõgelat, calorem extinguit, & hęc omnia tarde, & debiliter, sua tamen substãtia mediocri, acre, amarum, salsum, acidum reprimit.

De medicamentis purgantibus iudicia ex sapore.

Propter hæc, quæ medicamenta purgantia sunt solum & omnino acria, vt euphorbium, thymelæa, sunt maligniora, quàm synceriter amara, vt colocynthis, cucumer agrestis. In horum medio sunt acria simul & amara, vt scammonium. Innocentiora his sunt acria simul & styptica, vt thymum, epithymum. His adhuc mitiora, quæ amara simul & styptica sunt, vt rhabarbarum, absinthium, fumaria, [aloë:] in horũ medio acria & amara, & simul styptica, vt stœchas. In summa quanto medicamentum ab acri & amaro sapore recedit longius, tanto est benignius: quoq; acris & amari medicamenti proportionem styptica substantia magis vincit, eò est sanius medicamentum. Saluberrima quoq; sunt dulcia, vt cassia fistula, mãna: & insipida, vt psyllij vrticago: & dulcia simul & acida, vt pruna, tamar Indi. Minus his salubria, dulcia & amara simul, vt violæ: meliora, quibus ad dulcedinem & amaritudinẽ accessit styptica substantia, vt rosæ: stypticitas enim medicamenta omnia purgãtia reddit salubriora. Quibus autẽ natura deest salubre aliquid, ars naturæ imitatrix & ministra, id sufficere debet: quo autem modo, dicemus postea.

Alimenta medicamenosa sunt meliora. lib. 8. cõp. ph. par. in cõp. Andromachi. y phoidibus. Visiles. Gal. cap. v. t. lib. 4. simpl.

E Ex colore autem secretio medicamenti benigni à maligno certa, & vniuersalis sumi nequit, quanquam ex accidenti in quibusdam generibus sit ordinata & scientifica: vt agaricus, colocynthis, turbith, alba sunt præstantiora: nigra, malefica: scammonium subalbum aut varium, est bonũ: nigrum verò, malum: rosa exactè rubra, melior, & alia aliter, vt in simplicibus singulis docebimus. De his autem qualitatibus temperamentum sequentibus, si plura requiris, lege philosophiam naturalem.

Ad medicamenti quoq; delectum rectè iudicandum, & bonum sit an malum, expendendum, tempus iuuat, tũ quo medicamenta sunt præcipuè colligenda, vel non colligenda: tum quanto virtus medicamẽtorum durare potest. 4. Tempus.

F Quædam enim recentia sunt meliora, quàm vetera: alia contra, dum antiquata sunt, euaserunt meliora: alia in horum medio sunt.

Meliora siquidem recentia sunt, primò styptica & amara (nam cum ipsa sint siccissima, vetustate adhuc sicciora euadunt, ob id deteriora:) secundo loco, quorum facultas imbecilla est, aut superficiaria, aut facilè resolubilis, ob raram corporis medicamentorum texturã. Antiquatis enim his, tempus vires omnes resoluit. In contrarijs horum contra res habet, hoc est, antiquata sunt præstantiora, & acria similiter. Tempore etenim calor eorum inflammabilis & superficiarius (quo hæc, dum recentia sunt, mordent & vrunt) expirat, acrimonia autem à reliquo obtunditur.

G Media autem recentium & antiquatorum, dulcia, insipida, & salsa sunt pręstantiora. Nam salsa, recentia turbant ventrem, & euertunt ad nauseam & vomitum: veterata eadem, morsu violenter pungunt. Reliqua duo, recentia quidem, ob largum humorẽ excremẽtosum sunt flatulenta. [vetusta verò, exanimata sunt.] Recentia verò & antiqua intellige pro cuiusque generis natura, [non eodem dierum, mensiũ, vel annorum numero metienda:] nec quæ germini proxima sunt recentia, nec iam vetustate putrẽtia. & velut iam cinefacta, veterata hic intelligo, sed minus diu, aut magis, post collectũ seruata. Quo autem sint tempore medicamenta colligenda, & quandiu viribus integris seruari possint, postea Deo auspice dicemus.

Salsa recentia nauseabũda ob largam humiditatem putãtur, ob sicitatẽ verò auctã antiquata, mordent. Epithymũ, rhabarbarũ etiã trima, sunt adhuc recentia. Lib. 2. in singulis simplicibus.

H Locus autem natalis, quia medicamentis simplicibus multis non modo promptam generationem & felicem pręstat, sed & propriã quandam virtutem impertit, in medicamentorum delectu, maximi faciendus est. Natura etenim (vt Plato inquit) locis quibusdam, aliquas virtutes proprias impertiuit, quas illa rebus in se genitis & crescentibus communes faciant, sed tantum diuersas, quantum causæ harum differunt, & artifex natura est multiplex. In locis itaq; liberis, excrementaq; nulla sortitis, plantæ proprietatem perfectionemque assequuntur generi suo debitam: in non liberis, excrementorum 5. Locus. In Timęo. Triticum, vinũ & cęt. in agro non stercorisato

crementorum naturam induunt, & à perfectis degenerant. Attrahunt enim singuli ex terra alimentum sibi familiare, & conueniens: vitis (verbis gratia) dulce: lupinus, nitrosum: colocynthis, cucumer agrestis, amarũ, ex partibus terræ adustis natum. Eius autem rei inquisitio, sermonis non est præsentis, sed altioris.

Ob id plantæ humido excrementoso prædita natura, in locis [humidioribus quidem, deteriore:] siccioribus vero, præstantiores euadunt: sicciores contra, in locis siccioribus, peiores, [meliores, in humidioribus damnantur: & thymelæa, cucumer agrestis, colocynthis in siccioribus & calidioribus mala sunt & venenosa: absinthium item maritimum est maleficũ, vt scammonium ex regione Scenitarum: Antiochenum vero est præcipuum: [quę enim immoderatius calidæ sunt, vt scammoniũ, in locis calidioribus, peiores etiam euadunt, & frigidæ ad portionem.

Absinthiũ seriphium seu marinũ etiam damnãt Dios. & Gal. libr. 6. simplic.

Adhæc terræ, & per hanc plantis virtutem magnam impertit, & variam non sol tantum, sed aliorum quoque corporum cœlestium aspectus hunc locum & illum aliter atque aliter afficiens. In quo causarum genere, quędam plãtæ locum, & cœlum habentes suæ temperaturæ contrarium, sunt meliores: aliæ simili emendantur: sic guaril, & aquaticum sisymbrium, & quæ aliæ humido abundant excrementoso, sub cœlo suæ naturæ dissimili meliores sunt: turbith quoque, agaricus, scammonium, sub dissimili sunt meliora. Plantæ præterea nonnullæ ex alterius cuiusdam vicinia vel cõtactu, meliores aut peiores euadunt: sic hermodactylis scilla, aut raphanus vicina, vigorem addit: & thymus epithymo, & quercus polypodio, & sennæ ruta. Contra autem maligniora euadũt scammonia, esulæ aut tithymallis propinqua: polypodium, lapidibus: epithymum, ozimo. Numerus quoque plantarum vel fructuum, vires eorum mutat: nam cassia fistula singularis & sola est præstantior, contra sol colocynthis, scilla, cucumer agrestis, deterior: vis enim plantæ & terræ, diffusa, multisque distributa, est remissior: tota vero in vnicam plantam, aut fructum solum coacta, valentior. Eodem pertinet fructus quantitas, quod in paruum virtus coacta, est valentior: in magnum soluta, imbecillior: ob id colocynthis magna est melior.

Guaril putatur lacerta sylueſtris, coitum valde prouocãs sed huic loco non conuenit agenti de plantis.

Vicinia & contactus.

De medicamentorum delectu, indicatione sumpta ab ipsorum facultate.

MEDICAMENTVM purgans à nostro calore in energeiam reductum motu violento vacuat: neque enim vacuaret, nisi naturæ vim afferret.

MONDINVS.

EX his verbis cõcipimus duo principia per quæ medicina attrahit humorem sibi proprium à loco. s. ad loca communia expulsionis. vnum est principium extrinsecum magis, aliud est intrinsecum magis, & per hoc concipimus modum operationis correspõdentem illi principio. principium extrinsecum magis istius operationis siue attractionis humorum solutiua est medicina. cum enim fit quædam res non naturalis, est sicut eius principium extrinsecum, vnde non agit nisi regulata à natura. hæc autem regulatio est duplex, vna est eius regulatio, vt exterius existens est antequam à corpore assumatur: nam ipsa operatur per principia suæ generationis, & debita commixtione elementorum regulata cum debito aspectu cœlesti, & hoc non est aliud, quam forma specifica in ea existens, vnde quiddam addit supra complexionem medicinæ. vnde medicina attrahit hũc humorem proprium per commixtionem proportionatam & regulatam à corpore cœlesti, & suo aspectu, & hoc est, quod dicebat supra Mes. quòd medicina solutiua attrahit humorem non quia calida, nec quia frigida, sed quia tali virtute cœlesti dotata, quia in ea est forma specifica, & per hoc innuitur, quod medicina est principale agens in attrahendo humorem non incitatiuum, aut irritatiuum, sed principale: vnde sicut magnes principaliter per formam specificam quæ est in ea attrahit ferrum; ita medicina per sui formam specificam attrahit humorem sibi proprium, tamen non est principium perfectiuum, aut completiuum illius attractionis, sed potius natura. Alia est regulatio ipsius medicinæ, quando interius est assumpta, & hanc regulationem sortita est à calido, & virtute: nam medicina solutiua comparata corpori nostro est talis in potentia, & non actu, humores attrahens. omne autem quod est in potentia relatum nobis, nunquam fit in actu tale, nisi reducatur ad actum à calore nostri corporis, & ab eo reguletur, & tunc sicut est attractio humoris proprij, quæ quidem est in ea potentia, cum hoc quod agit scilicet in actu. secundum regulationem quam sortita est, scilicet à calido naturali, & hoc satis consonat veritati, si enim in aliquo loco exteriori ex vna parte poneretur multa quantitas scammoneæ, & ex alia parte poneretur quantitas pauca cholerę, nunquam scammonea attraheret choleram, nunquam etiam cholera moueretur ad scammoneam, & ideo oportet, quod eius operatio sit secundum regulationem quam sortita est à calido nostri corporis, & hoc etiam vult infra Io. Mes. si enim ipsa per se faceret hanc operationem sine alicuius auxilio, tunc ipsa per se sanaret corpus, quod falsum est; imo natura omnium principaliter est operatrix, & sanatrix ægritudinum principaliter, & hoc modo exponendo dicemus, quod principale agens in hac attractione humorũ ad loca cõmunia expulsionis est ipsa virtus expulsiua membrorum in quibus continentur humores nociui; & attractiua virtus quæ est in locis communibus expulsionis, & ex his duabus virtutibus perueniunt postea humores ad stomachum & intestina, sed instrumentale agens est ipsa medicina. Per hoc soluuntur duę quæstiones, vna est in qua quæritur vtrũ medicina solutiua attrahat humores ad stomachũ & intestina per virtutem quam acquirit à corpore nostro, an non. Soluitur etiam secunda quæstio, quid sit principalius agens in attractione hac, an medicina, an virtus operans cũ suo naturali calido. Quare dicendũ, q̃ principale in hoc est virtus, & est principiũ intrinsecũ istius operationis, vt etiã supra ponebat Mes. auctoritate Hipp. omnium. n. natura est operatrix rerum & sine natura non educitur humor à corpore, medicus vero mi-

Duorũ duplicidẽtium solutio.

nister est. Tangitur etiam modus secundum quem natura operatur in hac attractione. Neque enim educit nisi quia naturæ vim infert. ipsa enim medicina inquantum iuuat virtutem expulsiuam alicuius mẽbri in quo membro erat multo tempore contentus aliquis humor malus, ita quòd erat factus illi membro consuetus, & tunc à membro non posset expelli, aduenientemedicina ipsum membrum vincente & incitante, fit quod tunc talis humor nociuus a membro expellitur, & vsq; ad locum communem expulsionis peruenit, & hoc modo medicina solutiua infert vim naturæ. non enim hoc est violentia simpliciter, quæ fit destructiua siue impeditiua operationis ipsius naturæ: imo confortat naturam in expellendo. iterum etiam talis violentia simpliciter facta ipsi naturæ est irregularis & mala; hæc autem non est mala, sed infert iuuamentum ipsi corpori euacuando ab eo quod præter naturam est in tãtum quod est regularis. sed hæc violentia secũdum quid facta per incitationem virtutis expulsiuæ membri à medicina solutiua. & per hoc solutitur quoddam argumentũ quod consueuit fieri. Non videtur (diceret aliquis) quod medicina solutiua euacuet inferendo vim naturæ, quia si faceret medicina vim naturæ, tunc esset pugna inter naturam & medicinam; quare eius operatio non esset regularis. Soluitur per iam dicta: nam hoc non est violentia quæ fit cum pugna, sed est violentia quæ fit per quandam incitationem naturæ à medicina. cum enim virtus expulsiua membri incitatur ab aliqua re nocente, tunc vehementer operatur vt ponit Gal. v. de accidenti & morbo, & ideo quia virtus expulsiua membri incitatur à medicina, incitatur etiam ab humore, qui iam commotus est per medicinam; ideo tunc virtus membri vehementer illum humorem expellit: multa enim videmus principia quę valde vehementer operantur quando incitantur ab aliqua re nocente, & hoc habet verum iñ virtutibus naturalibus, immo etiam in vitalibus & animalibus vt ponit Gal. præcipuè de virtute vitali in libello de causis pulsuum: ponit enim quod virtutes aliquam necessitatem assumentes, s. ab aliqua re præter naturam vehementius operantur, & tunc posset fieri pulsus fortis valde.

COSTÆVS.

Cap. 23. *ATTRACTIONIS quum tres modos Alex. 2. quęst. nat. tradat, quædam. s. vi & tactu trahunt, & hæc mouendo mouentur, alia caloris vi quod intermedium est trahentia, quod est intermedio coniunctum consecutione quadam, vacui videlicet ratione, trahunt; alia ob familiaritatem benigno motu trahunt: iure cuiusnam modi medicamentorum attractio sit, dubitare licet. Galenus sanè, de quare in superioribus satis, ob familiaritatem attrahere quæ purgandi facultate prędita sunt passim tenet, præsertim 3. de simpl. med. fac. atq; ita in tertio attractionis modo reponit. Contra hoc in loco Mesues non nisi ob violentiam quam naturæ infert vacuare medicamenta pronuncians, in primo modo collocare atque à Galeno hac etiam in re videtur dissentire. Mesuæ autem astipulatur Hipp. & quotidiana experientia. Sanè non ignoramus velle aliquos magnæ & eruditionis & authoritatis viros quia violentiam inferunt quæ purgant, non nisi primi ordinis hanc esse attractionẽ, & propterea Gal. damnare quòd tertio modo, ob familiaritatem. s. trahere ea existimarit, quando quæ hoc pacto trahunt, benigno non violento modo alliciunt. Non est tamen vt nos vel hæc ratio, vel vllius authoritas seducat. Quæ primo modo attrahunt non solum vi & tactu trahunt, sed eadem tãgendo amplectendoq; trahunt, & dum mouent mouentur: atque propria huiusmodi attractio est. at medicamenta, quo pacto amplecti humores possunt aut tangere, quomodo etiam moueri ipsa possunt, sensu & motu omni destituta? somnio certe hoc propius videtur, ad animal autem (vt ego video) prima attractio pertinet. ita. n. equi currũ aut nauim trahunt, non ita etiam medicamenta, neque magnes. Consultius igitur statuisse medicos alios omnes dixerim, impropriam medicamenti esse attractionẽ qua quod trahit quiescit. neque. n. ad ipsos humores medicamentum fertur; sed vt mox ostendemus, quiescens illos allicit cum ob substantię familiaritatem, tum ob alias causas quas supra explicauimus. At medicamenta (dices) vim inferũt: quæ tertio modo trahunt, non inferunt. Quòd vim faciãt, respondeo non attractionis esse causa: sed insunt ipsis præter attrahendi vim, qualitates eorum substantiæ annexæ, naturæ hominis aduersæ, ob quas perturbari necesse est. sunt. n. & sapores ingrati admodum, à quibus nausea & vomitus & mordicatio atq; alia ea effecta proderunt quæ hic primo capite fusius docuit, secandi, incidendi, abstergẽdi, flatus excitandi, conturbandi, & id genus alia: sunt fętidi odores, & substantia ipsamet medicamenti toto sæpe genere homini inimica, à quibus omnibus affligi oportet. Sed non medicamenti tantum causa perturbamur. quin & humorum crassitudo aut lentor, viarum angustia obstructioq; totius noxæ frequenter origo esse solet. quare & diuinus Hipp. paranda esse corpora admonet ante purgationes, vt humores. s. fluxioni apti reddãtur, & viæ per quas ferri debent expediantur. Ob has igitur causas assumpto medicamento conturbamur, non autem ob attractionem: hæc enim blando & amico admodum fit motu nisi aliud obstet. quare & sæpissime obseruare est, ex castigato & opportune propinato pharmaco absque vlla prorsus noxa largam sequi attractionem & attracti humoris expurgationem. Erit ergo medicamentorum purgantium attractio propria & tertij modi vt Galenus & medici vniuersim omnes consentiunt.*

VACVAT autem proprium & familiarem sibi humorem, non etiam alium quemuis, nisi actio eius, ob quantitatem iniustam [& qualitatem alienam] effrenis ac immodica euaserit.

COSTÆVS.

MEDICAMENTA ait proprium humorem non promiscue humores omnes educere, quod & paulo post repetit. hoc & Gal. in lib. de purg. med. fac. & Auicen. 1. Can. & Auer. 5. Coll. & ante omnes Hipp. in lib. de natura hom. Contra tamen idem Hipcodem libro, medicamentum, ait, idem si quater in anno exhibeas, hieme pituitosissima tibi euomet, vere liquidissima, æstate biliosissima, autumno nigerrima, atque idem paulo antea etiam dixerat in superpurgationibus cholagogum

Fen. 4. doctr. 4. cap. 4. Tex. 31. Tex. 41.

cholagogum medicamentum bilem primum, dehinc pituitam, atrum humorem, ac sanguinem detrahere: phlegmagogum autem pituitam primo, postea bilem flauam, atrã, & ipsum sanguinem euacuare. Quæ res si ita habet, educet ergo medicamentum quoduis humores pro diuerso tẽpore & diuersa mensura omnes, neq; vnum trahet peculiarem. Scribit etiam Arist. 1. probl. medicamenta vbi in ventre resoluta & ad venas delata sunt, ex venis quia concoqui nequeunt regredi & quicquid obuium fit secum detrahere, atque hanc esse quam purgationem vocamus. quare si hoc quoque verum est, nullus etiam in trahendo erit delectus. Cæterum vt his satisfaciamus. animaduertendum, duplicem medicamento omni expurgationem fieri: alteram abstergendo eorum omnium quæ obuiam fiunt: alteram attrahendo quod peculiare est tantum. pollent.n. acria, amara, salsa, acida medicamenta abstergendi; dulcia autem & insipida abluendi facultate, vt priori capite hic author fusius docet. medicamento igitur cuiq; quum duplex huiusmodi expurgatio succedat, prior ea est quæ abstergendo, & hac quicquid obuium est eximitur: posteriori vero quæ attrahendo absoluitur, non nisi quod peculiare est & proprium. quã ob rem, quod Hipp. scribit de vomitu, qui vẽtriculi præsertim expurgatio est; verissimum esse puto. scatere.n. ventriculum hyeme pituita & ea crassa, vere liquidiori pituita, æstate biliosis excrementis, & autumno atris, propterea q̃ diuersis hisce tẽporib. diuerse quoq; euacuari, vt rationi maxime consentaneum est; ita quod expurgatio huiusmodi fiat, attractione non est opus, sed sola perficitur abstersione. expurgato autem ventriculo si illi medicamentum adhuc hæreat, tũc demum neq; vere liquida, æstate biliosa, autũmo atra, hyeme pituitosa expurgantur semper; sed talia à circunstantib. partib. ac à toto planè corpore alliciuntur, qualia attrahere aptum fuerit medicamentum, illi.s. peculiaria & propria. hoc etiam ijs euenit quæ subducendo aluum expurgant. primum sanè abstersoria qua vigent potestate, quicquid obuiam fit euerrunt, seu nostra potius natura ab illorum acri & molesta qualitate irritata facto impetu foras pellit; dein vero insita vi familiarem humorem ad sese alliciũt, qui postmodum expultricis facultatis conatu deorsum protruditur. Quod autem ex eodem Hipp. postea adducitur, cui etiam quotidiana experiẽtia astipulatur, trahi.s. medicamento omni humores omnes in superpurgationib. vt verum est, ita sentẽtiam nostram confirmat. cur.n. quod familiarissimum est primum trahitur quacunq; mensura medicamentum dederis? cur scammonium semper bilem, colocynthis semper pituitam primo loco, dehinc humores alios eliciunt? argumentum hoc præbet certe & peculiaris facultatis qua peculiarem humorem quæq; detrahunt, non communis aut fortuitæ. At cur familiari attractio alij quoq; humores succedũt? Gal. 3. de simpl. me. fa. venarum imbecillitatem, osculorum laxitatem, & medicamẽti mordicationem affert pro causa: venas.s. & quia à medicamento mordicantur ac quodammodo emulgentur, & quia eiusdem medicamenti vi à temperie sua cadunt, imbecillas reddi & imbeciliter continere, atq; ita medicamẽto expultricem vim irritante alienos etiam humores expurgari. Eandem quæstionẽ 5. Coll. proponit Auer. & dissoluit aliter quam Gal. sed tam obscurè vt vix quid velit intelligam. hoc tamen voluisse auguror. Quum duplex insit purgantibus medicamẽtis attractio vt idẽ Auer. eodẽ loco docet, altera caloris proprij qua absolute trahit, altera à proprietate qua non humores quosuis, sed proprium & ex propria regione trahit; vtraq; hæc tractio potestate medicamento inest, reducitur autem in actum ab insito nostro calore. at vim hanc peculiarẽ vt certũ humorẽ ex certa regione trahat. attractionem.s. ex proprietate, non nisi sub certa quadam & exacta medicamenti mensura sortitur. quo fit vt sub alia mensura hęc quidem quæ ex proprietate est desinat, sola autẽ ea remaneat quę merito caloris perficitur. calor vero quicquid obuiũ est promiscue trahit, propterea q̃ attractione ex proprietate feriãte, caloris tamẽ illius vi purgatio adhuc sequitur, sed alieni humoris. Hæc (arbitror) Auer. sentẽtia est à positis ab eo principis nõ recedẽs, neq;, vt mihi videtur, parui estimãda. si.n. vt ipse posuit, duplex attractio medicamẽtis inest, cõis altera, ita.n. quę fit à calore, nũcupari põt; altera propria: si propria hęc, quã nõ nisi sub certa medicamẽti mẽsura seruari maxime consentaneũ est, ob excessum corrũpatur, cõem superesse integrã, veritatis speciẽ hẽt: atq; ob id alienos humores trahi. Nobis certe, licet id suspectũ habeamus quod attractionẽ à ꝓprietate ex elemẽtorũ mistione ait emanare; hæc tamẽ Auer. de duplici attractione opinio maxime arridet. Esto quod Gal. ait, vt vasa imbecillia sint ob medicamenti mordicantis molestiã, & ob eius suctũ, vt etiã eorũ laxiora sint oscula, ac irritata à medicamẽto expultrix expurgãdi modũ nõ habeat; inesse tamẽ attractionis nõnihil necessariũ videtur quũ adhuc vigeat medicamenti calor, attractionis cõmune instrumẽtũ; & expultrici facultati cõtẽtrix mẽbrorũ uis nũquã nõ reluctetur. etsi.n. imbecillior fortasse hæc est reddita, nõ tamẽ ꝓrsus inualida, alioqui & sanguinis & humorũ omniũ ex largiori medicamẽto omni euacuatio succederet expultrice vigẽte, cõtẽtrice aũt prostrata. Itaq; prẽter expultricis operã, prẽter vasorũ imbecillitatẽ atq; osculorũ hiatũ de quib. Gal. quod in superpurgationibus euacuato ꝓprio humore alieni sequãtur, calorẽ medicamẽti potissimã causam esse ego facile affirmarim. atq; ita ꝓpositã solui quęstionẽ. At obijciat aliquis, si exhibitũ ampliori mẽsura pharmacũ attractrice nõ propria sed cõmuni agit, ut ait Auer. ergo quodcũq; ipsum fuerit, tenuiores primo humores, post crassiores educet nullo alio habito delectu. Cõtra tamẽ propinato maiori copia melanogogo medicamẽto atrũ humorẽ et phlegmagogo pituitã educi primo semper loco videmus, relicta bile quę tenuior est. Impulit hæc rõ nõnullos, viros certe prestãtes, vt de Auer. male sentirẽt. Nobis vero infirma admodũ obiectio videtur. Nõ statim medicamẽtũ largius sumptũ immoderatũ cõcipit calorẽ: sed innatæ nostræ caliditatis vi exsuscitatur primũ, & ad agendũ promouetur: tũc vero medicamẽti calore vias referãte attractoria quoque vis quę ex proprietate illi inest, exerit sese, & qd̃ propriũ ac peculiare cuiq; est allicit. at excãdescit paulatim insitus corporis nostri calor cõtinua subministrata ex medicamẽto materia, & medicamẽti quoq; caliditas maiori accẽditur flãma: quo fit vt eius ꝓpria vis calore certã metã transgresso corrũpatur & trahere desinat, tũc vero peculiaris humoris euacuatio supprimitur. intẽditur aũt altera vis, ipsa uidelicet caliditas, et trahẽdo laborat, sed nullo amplius delectu qcqd obuiã fit trahit: tenuiora tñ primo loco & fluxioni aptiora, deinceps etiã crassiora subsequũtur. sanguis autem licet atrabile & crassa pituita tenuior, minus facile admittitur quod eo membra maxime alãtur. Ergo cur

Tex. 29.

C. 27. & 28.

Cap. 21.

medicamenta maiori mensura assumpta proprium tamen humorem alliciant, attractricis propriæ robur est quod non statim dissoluitur. dissoluitur autem postea, tunc vero purgationis est finis. incipit autem superpurgatio, & sola attractio communis viget, & humores confuse omnes trahuntur, qui faciliores. Erit igitur, vt semel dicam, superpurgationis causa ipsa quidem caliditas; purgationis autem, vis propria. recte ergo Auer. attractionem propriam non nisi cum determinata mensura consistere, in super purgationibus autem attractricem communem vigere arbitratur. attractionem autē communem voco quę ex calore. quā quidē si recentiores purgantibus medicamētis generatim inesse intelligunt quum ad peculiarem trahendi vim generalem quoq; quandam tribui illis oportere aiunt; recte illi quidem, sed non rem nouam docent. sin aliam prēter calorem vim esse putant, frustra eos arbitror laborare. Sed de hac re satis. Quid autem ad Arist. sententiam trahi medicamentis quicquid obuiam fit scribentis? Suspecta ea semper nobis fuere quæ is, diuinus alioqui vir, scribit de purgatione: quando experientia planè ipsa peculiaris humoris delectum cuiq; inesse medicamento, admonemur. quod ipse igitur ait, vt in primo ipsius purgationis initio verum esse fateor (manifestis. s. qualitatibus quod ventriculo adhæret secando attenuando & detergendo) ita & in superpurgatione puto euenire, in qua, vt modo dixi ex Auer. sola viget attractio quę caloris fit ope. de purgatione vero ipsa, ab Aristotele ipsa me rei veritas abducit.

VANQVAM vero omnia propè medicamenta purgantia genere sunt, deleteria, ac sua violētia naturæ nostræ grauissima: ipsa tamen natura, quibus potest modis illorum motibus facultates nostrum corpus dispensantes purgando dissoluentibus occurrit: dum corporis excrementa illis trahentibus, non modo facilis permittit, sed etiam his per medicamenta expellendis, tanquam onere leuata, recreatur, non minus quàm si ipsa motu suo naturali expelleret. Porro fit purgatio duobus potissimum modis (vt libr. 1. aphorism. meminit Hippocrates) interdum vomitu agitata sursum ad stomachū materia: frequentius, deiectione, excrementis ad aluum deturbatis. Ne putes autem medicamentum purgans ventriculo receptum ad humorem vacuandum penetrare, sed vi attractrice sibi insita delectu quodam cognatum humorem & familiarē, ex venis & corporis meatibus sensum latentibus, ad se in ventriculum & intestina, rapere: quomodo Magnes ferrum, & succinum festucam, & alia quædam alia attrahunt.

Aph. 2. li. 1. & Aph. 4. c. 7. 8. 9. lib. 4.

COSTAEVS.

ANTIQVA *versio ita habet [& illud ideo quoniam medicina laxatiua perueniēs ad stomachum, non adit humorem quem euacuare debet penetrando ad ipsum: sed virtute attractionis sigillata in ipsa attrahit. eligens quod ex humoribus est ei proprium attrahere. & est comparatio operationis eius ad materias, comparatio magnetis ad ferrū, charabe ad fustem & ad alia.] Variāt tamen etiam codices. In manuscript. qui Philippi Nicolotij Florentini medici egregij opera ad nos peruenit legere est, [addit] alij omnes [adit.] Refutare iuxta priorem lectionem Asclepiadis sententiam videtur gigni à medicamento humores opinantis. iuxta vulgatam literam, opinionem eorum qui medicamentum concedere ad ipsos humores & vniuersum corpus existimarunt. Est autem quæstio vtraq; digna animaduersione. An medicamēta certe humores gignant quos educunt, fusius Gal. lib. de purg. med. fac. prosequitur & conuellit. in eandem tamen sententiam is quoq; videtur interdum ire, veluti quum 3. de simp. med. fa. medicamentum mitius si à corpore superatur non autem superat, in humores ait degenerare. quare & eum damnare Auic. merito videtur 1. Can. An vero quod in quęstione 2. ambigitur, medicamentum ventriculo immoretur, seu in venas & corpus vniuersum commeet, discrepare à medicis videtur Arist. & ipsamet experientia. Medici, præsertim Auic. 1. Can. hęrere pharmacum ventriculo atque ita trahere persuasum habent. Contra Arist. 1. probl. id vbi in uētre resolutū est, in venas per cibi vias permeare: ex venis autem quia concoqui nequit, regredi atq, humores detrahere. sed & quotidiano quoq; experimento videmus, assumpto rhabarbaro & cassia flauescere lotia, quod argumento est, ad venas atque ipsos etiam renes duo hæc ferri. Quin & Auic. causam reddens, cur medicamentum interdum vomitum quandoque alui deiectionem faciat; citum aut tardum illius ad intestina descensum affert. ex quo pertingere ad intestina medicamentum atque adeo ventriculum excedere, confirmare videtur. At vero, vt hęc etiam perpendamus. quod primo loco quęrit, an medicamentum humores gignat, de qua re notatur Gal. inconstantiæ, & erroris etiam ab Auic. ingenue dicam quod sentio. Tuebamur aliàs in nostris in Auic. ad notationibus refutari ab Auic. nō Galeni sed Asclepiadis placitum, opinantis. s. semper gigni assumpto medicamento humores, quum Gal. non semper, sed tantū vbi non soluunt id fieri existimaret. Nunc tamen re diligētius animaduersa video id nō admitti aut reijci ab Auic. quod putabam. Illud potius Auic. suspectū arbitror, quod Gal. medicamentum in eundem verti humorem ait quem eximere consueuit. hoc. n. nō videtur carere dubitatione. quod certe aloe vbi non expurgat, in bilem vertatur, verisimile est, quando calidum & siccum medicamentum est. at quo pacto cnicus, agaricus, polypodium calore & siccitate prędita in pituitam degenerabunt? Fateor ego id me non assequi. quamuis ergo medicamenta vbi eodem constant cum humore quem trahunt temperamento, concoqui ac in peculiaris sibi humoris naturam abire posse negandum non est; vbi dissimili tamen temperatura constant, id neq; necessarium, neq; etiam rationi admodum cōsentaneum videtur, vt propterea non temere doctissimus Arabs à Gal. descisscat. Sed quid de quæstione altera? adeunt'ne medicamenta humores, an ventriculo hærent? Suspecta (rursum dico) semper nobis fuere quæ Philosophus de purgatione. neque enim videre unquam potui, cum, quo pacto medicamenta sponte moueri possint, quæ inanimata sunt, aut trahi à uenis debeant quæ inepta sunt ut alant: tum quo modo experimento id ipsum respondeat, quando medicamenta interdum extrinsecus applicita umbilico, calci, uolæ manus, & naribus*

Cap. 24.

Fen. 4. doctr. 5. c. 4.

Probl. 34.

naribus admota expurgant, & integro sæpe reiecto medicamento per vomitum larga succedit deiectio, ac peracta copiosa expurgatione catapotia rursum integra qualia deuorata fuerant, reddere sæpe aluus solet. Sunt tamen ex medicamentis multa mitiora & naturæ uostræ magis affinia, quæ & per ciborum vias admitti, imo ab ipsismet membris ob alimenti similitudinem quandam trahi etiam posse probabile est, qualia cassia, manna, tamarindi. rhabarbarum: quare quòd ijs assumptis flauescant lotia, & alienos colores suscipiant non est admirandum. his exceptis reliqua hærere ventriculo, eorum autem vapores quoquo versum diffundi medici consentiunt: atque per hos veluti manus quasdam agnatos ad sese humores allicere: quanquam ij vbi peruenere ad intestina, expultricis facultatis impetu deorsum præcipitantur, raroq; ad ipsum vsq; ventriculum pertingunt. At cur Auic. quòd medicamenta vomitu aut subductione expurgent, ad citum aut tardum eorum ad intestina descensum refert? Recte ille quidē & docte. Medicamentum quandiu ventriculo inheret trahendi finem nūquam facit, ac sæpe è ventriculo ipso cui ob medicamentosam substantiam ingratum & infensum est, ad intestina antea deturbatur, quàm ad ipsum allecti eius vi humores ascendant: tunc vero purgatio deorsum procedit. interdum tamen etiam diutius in eo moram trahit & propria vi humorum ad sese copiam allicit, quorum multitudine aut etiam qualitate irritatus ventriculus in vomitum prorumpit. Quòd ergo medicamentum per aluum aut vomitum expurget, citus quoque ac tardus illius ad intestina descensus facit, quod aduertit Auic. non ex hoc tamen illud sequitur quod obijcitur, medicamenta ad venas ac vniuersum corpus ferri, quod est positum in quæstione.

Commoda sex deiectionis.

HOc autem humore ventriculi & intestinorum natura dum grauatur, eum expellit, quamquàm ad ventriculum rarius repat, vomitu, si stomachum agitet: aut deiectione, si ad pylorum declinet, vacuandus: frequentius ad intestina, propter multas causas. Materia enim ob insitam grauitatem ad inferna ruit. Præterea venarum meatus, excrementis expellendis dedicati, plures ad intestina, quàm ad ventriculum ferūtur. Tertio loco intestina vacuandis excrementis destinauit natura, nō ventriculum. Excrementa enim ad partes ignobiles, & propinquas sedi à natura transmitti, fuit melius, quàm ad nobilem particulam, & à sede remotum ventriculum: in quem si repant, ea deiici quoque per intestina præstat, quàm per gulam euomi: φ pylorum inferiorem ventriculi portam expulsioni, gulam vero attractioni dedicauit natura. Ex quibus apparet, eandem naturam medicamenti purgantis opus deiectione potius, quàm vomitu moliri; omnis enim partis actio contra primum naturæ institutum facta, est improspera. Est igitur medicamentum purgans aut vomitorium, aut deiectorium.

Gal. Aph. 21. lib. 1.

Medicamentum purgās duplex.

COSTÆVS.

ALIVD subdit quod controuersia non caret. Cur medicamēta alia vomitoria alia subductoria sint, ex proprietate esse ait. & explicās qualia nam vomitoria sint, talia esse dicit quæ ex proprietate habent vt os ventriculi superius debilitent. Contra tamen cur alia vomitoria sint alia subductoria aliqui grauitati ac leuitati acceptum retulere. cui quidem opinioni, quamuis eam hic author. 1. cap. primis statim verbis refutarit dicens [& neque quia graue aut leue agitatiuum superius vel inferius, sed quia tale.] neque.n. quod multos sentire video de medicamentis generatim id protulit, quasi aliquis ea purgare ob grauitatem aut leuitatem senserit, sed pro causa affert cur alia subductoria alia sint vomitoria; subscribere tamen ipsemet videtur paulopostea, dicens medicamenta si suapte natura facilis descensus fuerint, ex vomitorijs fieri deiectoria. sunt autem descensu facilia quę grauia sunt. quare & lapidem armenum laxare aluum ob sui grauitatem aiunt, licet excitandi vomitus gratia exhibeatur. Discrepare ergo à seipso Mes. videtur. Alioqui etiā, si ijs tantum citari vomitus solet (quod hic innuit) quæ ex proprietate habent vt ventriculi os debilitent, atqui agaricus astrictoria vi pollet qua ventriculus solet confirmari, & maxime tamen omnium vomitum facit. Cæterum ad hæc breuibus. quæ grauia sunt facilius & citius deorsum labi, leuia vero sursum moueri non est vt quis ambigat. in medicamentis autem, licet agaricus ob sui leuitatem raro vomitum aut certe nauseam non faciat, & lapis armenus sæpe aluum laxet; non propterea tamen perpetua ea regula est aut frequens quod quæ grauia per inferiora quę leuia per superiora expurgent: quando & agaricus subducit & armenus lapis vomitum concitat. alioqui etiam & lapis iste & similia omnia leuigata & terrenis sordibus, quę grauitatem faciebant, expurgatissima offeruntur. Non temere ergo Mes. grauitatis aut leuitatis gratia illud subductorium, hoc esse vomitorium negat: & ad eādem vim refert à qua etiam purgandi facultatem putat emanare, dicens medicamento horum alterum inesse quia tale. Afficiunt tamen vomitoria omnia os ventriculi superius seu quod in illo supernatēt, quod pinguia prefertim faciunt; seu quod medicamentosum virus sapiant: ferre.n. id ventriculus prefertim os eius sensu eximio præditum non potest; aut etiam quod flatus copiosiores excitēt, qui suapte natura sursum repunt. Pro absurdo igitur habet Mes. quod grauitati aut leuitati hoc ascribatur munus. At obijcies, is tamen quæ descensu facilia sunt aluum subducere ait, quamuis spōte vomitoria sint: talia autem sunt quæ grauia. Ego vero, quia cito descendunt etiam quæ fluxa ac leuia sunt, hæc & alia huiusmodi puto à Mes. intelligi, non quę grauia. atq; hoc pacto nulla erit in eius verbis controuersia. De agarico autem quū astringēte vi polleat, & ventriculo ob id robur conciliare aptum sit, an os ventriculi debilitet, ac propterea, an vomitoria omnia ventriculum imbecillem reddant, non est intellectu difficile. insunt agarico diuersę qualitates, & aereæ ob quas facile supernatat vētriculo et uomitū ciet, & terrenæ ob quas astrictoria vi quum polleat, ipsum quoq; ventriculū confirmat,*

nihil ergo impedit ob qualitates varias, varias etiam vires eundem obtinere. quamuis igitur agarico facultas etiam insit qua ventriculo robur conciliat. nullum tamen vomitorium illius os non infestat, quod Mes. statuit.

Vomitoriũ.

VOMITORIVM est qd̃ stomachũ (id est, os ventris superius) suæ substãtiæ proprietate debilitãs, & in ipso immorans, ad ipsum ex hepate, intestinis, & partibus cæteris, materias attrahit. à quibus offensus stomachus, & ad nauseã euersus vomitu per os expellit, motu scilicet suæ naturæ contrario. Deiectorium est, quod in ventriculo manens, ab hepate, & cæteris partibus humorem sibi familiarem, ad intestina potius attrahit, propter cõmoda prius dicta, à quo quidem humore irritata naturalis intestinorũ facultas, ipsum, vt solet alia excrementa, ad sedẽ protrudit. Sicq; vomitorium medicamentum, est tantum vomitorium: & deiectorium nihil aliud, quàm deiectorium.

Deiectoriũ.

MONDINVS.

NOTANDVM quod Mes. in istis verbis, tangit tria, quæ requiruntur ad hoc, vt medicina solu. euacuet per secessum, vnum est sumptum ex parte loci in quo ipsa manet, cum dicit. Quæcunque in stomacho manentes: nam siue medi. solu. soluat ventrem per virtutem attractiuam quæ in ea est, siue per violentiam quã infert, siue per vtrunque quod est melius dictum, semper vel vt plurimum oportet quod maneat in stomacho, & in hoc conuenit cum medicina vomitiua. quoniam tã vomitiua quam solutiua medicina moratur in stomacho. quod enim medicina vomitiua moretur in stomacho est satis notum cuilibet, potest autem declarari de medicina secessiua. quia in quo loco magis suam operationẽ perficit in eo moratur: sed dum est in stomacho magis suam operationem perficit. quare &c. Maior de se patet, minor etiã est nota, quia hæc est operatio regularis quę magis completur dum est in loco conueniẽti: sed cum ipsa est in stomacho magis à longinquo attrahit, nõ autem illud fit dum est in intestinis, vnde si ipsa esset in intestinis, cum intestina sint deputata ad expulsiones, possent ex aliquo incitante vel stimulante intestina illam talem medicinam cito expellere, tunc autem quando est expulsa non facit amplius suam operationem. Et licet medicina solutiua, & vomitiua maneant in stomacho, tamen in alia & alia parte stomachi, vnde medicina vomitiua manet magis in superiore parte stomachi, solutiua autem magis manet in fundo eius. Secundum quod explicat Mes. in operatione medicina solutiua est locus per quem materiam euacuat, attrahit. n. ad intestina: nã quamuis ista medicina solutiua maneat in stomacho, nõ est necesse quod attrahat ad stomachum: tunc enim omnis medicina solutiua esset vomitiua, & nunquam soluoret ventrem, immo omnes attraherent ad stomachum humores qui educerentur postea per vomitum, sed attrahit solum tales humores ad locum deputatum magis à natura ad expulsionem. talis autem sunt intestina. Et per hoc posset haberi argumentum ad probandũ quòd medicina solutiua non euacuat per virtutem attractiuã quæ est in ea. probatur: nam posuit statim quod ipsa manet in stomacho: si ergo euacuat manens in stomacho per virtutem attractiuam, eos attrahit ad stomachum, eo quod attractio est motus alicuius ab aliquo ad se, vt

Vtrũ medi. solut. euacuet per virtutem attractiuam quæ est in ea.

E Arist. ponit 7. Physic. Posset solui hæc ratio hoc modo, nam medicina solutiua attrahit per virtutem attractiuam, sed nõ est necesse quod attrahat ad locum in quo est; sed sufficit quod attrahat ad locum deputatum à natura ad expulsionẽ, qui locus est intestina. Si dicis quod attractio est motus alicuius ab alio ad se: dico quod etiã est modus alius attractionis, quem etiam recitat Arist. ibi, qui quidem est ab alio ad aliud, quia ad locum deputatum. vnde & si medicina posita super volam manus, aut super ventrem vel ilia euacuet per fluxum ventris, non est necesse quod ibi sit attractio humoris ab alio ad se; sed sufficit quod sit attractio humoris ab alio; quia ab aliquibus mẽbris determinatis; siue à toto ad aliud, quia ad locum alium deputatum à natura ad expulsionem, talis autem locus sunt intestina. Tertium quod explicat in his verbis, est per quod medicina solutiua euacuet, & hoc per secessum est, quia innuit nobis membra à quibus euacuet siue attrahit cum dicit, ab hepati alijs membris.

F

EST autem quando deiectorium fit vomitorium, (vt etiã aliquando contra, vomitorium sit deiectorium) illudque ob naturam vel medicamenti, vel ægri, vel vtriusque simul. Medicamentum enim, si ventriculo supernatat, aut stomacho molestum est, ipsumque valenter agitat & subuertit, aut nimis abominabile est: fit pro deiectorio vomitorium. Ad hæc, cui stomachus tũ est imbecillus, cum sumitur medicamentum deiectorium: cuiue stercus iam siccius intestinis obstructis, pertinacius hæret: aut intestina ipsa arctata & angustiora reddita sunt, aut flatus aliquis medicamentum subleuat: vomitorium euadit. Postremo corporis aut animi motus aliquis immoderatior, vel fœtor, vel rei abominabilis aspectus, & similia, medicamẽtum deiectorium reddunt vomitorium. Vti contra, quod natura sua est vomitorium, euadit deiectorium, causa similiter medicamẽti, vel ægri, vel vtriusque, sed ratione diuersa. Si enim medicamẽtum ex sua natura prompte ad aluum descendat, aut ei grata quædam sint admixta: si item stomachus tũc est robustus, aut ab inanitionem & vehementem famem valenter appetit, aut aluus natura est lubrica & facilis: si denique iucunda quædam obiecta externa apprehensionem medicamenti prohibeant: id pro vomitorio fiet deiectorium. Huc accedit, quòd natura in melius omnia prudenter dirigens, rem vomitoriam efficit deiectoriã, propter dicta prius commoda. Ex vomitoriis præterea quædam sunt vehementia, alia clementia, quædam mediocria. Vehementia quidem, quæ naturæ ipsi vim magnam afferunt, vt vomitu vacuent: qualia sunt elleborus albus, struthium, thymelæa, balanus myrepsica minor, lathyris, ricinus, thapsia, ruta agrestis, cucumer agrestis, & similia. Clementia, vi nulla, aut minima naturæ molestia, vomitum cient: cuiusmodi sunt, asarum, flos myricæ, semen cœparum, anethi, atriplicis, melanthii, rapæ, rhaphanidis, raphanus, sal, & similia, Mediocria sunt, nux

Medicamentum ex deiectorio fit vomitoriũ tribus causis.

Aegri.

Vtriusque.

Medicamentũ ex vomitorio fit deiectoriũ tribus causis.

Medicamenti.

Aegri.

Vtriusque. Vomitoriũ differentiarres à maioris & minoris rationes sumpta.

H

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170803-p0038-7 DFG

Deiectoriorum diffe. 4. Trahendo. Comprimẽdo. Leniendo. Lubricãdo.

nux vomica, enicus, nitrum, sal gemma, sal Indus, balanus myrepsica maior, & similia. Medicamentum autem deiectorium vacuat facultate propria sibi insita, eaque aut dissoluente, vt scammonium, turbith: aut per astrictionem exprimente, vt myrobalani: aut leniente, vt cassia fistula, manna: aut lubricante, vt muccago seminis psyllij.

COSTAEVS.

DISTINGVIT purgantium medicamentorum actionem, eaq; alia dissoluendo, alia comprimendo, alia leniendo, alia lubricum faciendo purgare ait. Id & Auic. 1. Can. Quæstione autem dignum videtur, sitne idem leniens & lubricans medicamentum. solent enim hæ voces nullo discrimine pro eadem re sumi à recentioribus: sintne præter eos quatuor, alij subducendi modi, laxant enim aliqua etiam abstergẽdo vt serum, absinthiũ, beta, sal, ac nitrum; alia emolliendo vt oleum, & pinguia omnia quæ induratas fæces subductioni accommodant; alia humectando vt aqua, cucurbita, attriplex, maluæ; alia eliquando vt euphorbium: an demum quæ leniendo lubricando comprimendo subducunt vere sint purgatoria, quæ attrahendo expurgent. Mesues enim quum hoc in loco his tribus vim trahendi admodum imbecillam tribuat; idem tamen paulo post catalogum eorum faciens quæ bilem, pituitam, aliaq; excrementorum genera à proprietate educant, horum quoque meminit, quod etiam particulatim facit quum de simplicibus, agens singulis suam peculiaris humoris eductionem ascribit quę sine attractione fieri non potest. Profecto vt ad singula hæc respondeam. an lenientia medicamenta, quod primo loco quęritur, à lubricantibus differant, sunt nonnulli ex recentioribus qui vnam esse lenientium, & lubricantium speciem putent, contra quàm Arabes senserint. horum tamen duo genera esse aiunt, alterum eorum quæ quia frigidam humidam, & lubricam temperiem habent, lentore & aluum imbecillã mouent. & internarum partium meatus frigida sua & lubrica viscositate condensant infarciuntq; emplasticorum more: talia autem blitum attriplicem portulacam cucurbitam & insipida penè omnia esse aiunt, quæ scilicet intimos viscerum meatus neque permeant quos lentore potius suo & frigiditate obstipant, neque quicquam educunt nisi per accidens. alterum genus esse dicunt eorum quę præter dictas qualitates aliquid etiam caliditatis habent & tenuium partium, quibus intestinorum recrementa non modo leniendo vt primum genus, sed etiam rarefaciendo ac tergendo aluum subducunt: in hoc genere ponunt cassiam, maluam præsertim agrestem, violam recentem, borraginem. Hæc illi, quę sanè si singula examinare animus esset, vt obscura, ita vereor ne etiam sint friuola. primum equidem, quidnam lubricæ temperiei nomine velint quam in primo lenientium genere esse aiunt, non video, nisi temperiem pro substantia vsurpent, lubricum autem quod humidum est, & viscidum intelligant. Sint ergo frigidæ humidæ & viscidæ substantiæ. quod subdunt, quæ talia sunt lentore imbecillam aluum mouere, & internarum partiũ meatus viscositate sua frigida & lubrica condensare infarcireq;, valde obscurum est nobis. vt enim præteream,

A quòd nugatio quædam videtur quum aiunt à visciditate lubrica hæc fieri. si enim lubricum est, quod cum humiditate etiam viscidum est, lubrica viscositas erit viscositas cum humiditate & viscositate. vt inquam hæc præteream, sicuti lentor visciditasue quibus vocibus tanquam diuersa significantibus vtuntur, pro eodem ab omnibus sumi solent; ita contrarios effectus prodire ab eadem nequeunt qualitate vt laxet aluum & internarum partium meatus infarciat condensetq; emplasticorum more. Rectius ergo ab humiditate quidem laxari aluum, à visciditate vero internarum partium meatus condensari & infarciri dixissent. At quis vnquam internarum partium meatus infarciri cõdensariq; à lenientibus dixit? Ait equidem Gal. non raro, & maluas & blitum & alia eius generis cum lentore tum humiditate aluum subducere; at quòd lentore infarciantur internarum partium meatus, neque ipsem

B neque alium scripsisse vnquam memini. aduersatur enim potius obstipatio infarctusq; ille subductioni, quàm auxilietur. Age ergo his præmissis an lenientia à lubricantibus differant videamus. Nobis certè quos Arabum authoritas plurimum mouet, lenientia à lubricantibus distingui vel exempla persuadent, quibus quid horum vtrunque sit, & hic author & Auic. insinuat. alia quidem ratione cassia & manna, & alia psyllij muccago sebesten, atque alia id genus aluum mouent. paucis ergo vt quod sentiam exponam. lubricantia ab Arabibus ea videntur intelligi, quæ quum lentore suo non mediocri fæces vniant, humiditate etiam & grauitate impetum fluendi addunt. hoc psyllium, hoc sebesten, hoc pruna prestare videntur. cætera autem quæ intestinorum, aut etiam humorum asperitatem auferunt, lenientia puto appellari, talis manna & cassia videtur, talia pinguia & oleosa sunt omnia, quæ profecto

C aut intestinorum superficiem leuem reddunt, aut etiam ipsis excrementis durioribus adiuncta fluorẽ illis adijciunt. ita ergo distingui lenientia à lubricantibus videntur. Cæterum incidit etiam hic scrupulus. quum enim cassiæ lentoris aliquid insit, huius gratia inter lubricantia hęc quoque esset reponenda si modo lubricantia sunt qualia diximus. Non ignoro quid ab alijs dici soleat. nihil scilicet referre quo minus idem & lenienś sit & lubricans ac vtroque simul subducendi modo valeat. Sed adde prętereа, lubricantia non viscida tantum esse, sed insigniter viscida. talis autem non est cassia. Nunc autem videamus quod sequitur. an prętеr lenientia lubricantia, comprimentia, soluentia, alij sint modi subducendę alui. Atque id quidem quod objicitur, esse & quę molliendo, quæ abstergendo, quæ abluendo, quę liquando aluum moueant, differreq;

D hæc à lenientibus lubricantibus comprimentibus, habet certe veritatis speciem, quando si harum vocum vim spectes, leniunt quæ asperitatem tollunt; lubricant quæ visciditate sua fæces cogunt ac humiditate & grauitate impetum dant fluendi; comprimunt quæ partem vniunt & quod illi inerat exprimunt; soluunt quæ meatus reserant & quodammodo quod in vinculis erat liberãt, inde enim accessisse huius vocis vsus medicinę videtur; molliunt quæ duritiem auferunt; extergunt quæ sordes à parte remouent, id verò aut sicciore sui substantia præstant, & serè abstergentia proprie vocari hæc video, aut humore multo quorem perfundunt, & abluiua nuncupantur; colliquant autem quæ quod à frigore concreuerat sui calore dissoluunt. ex his ergo differre hęc inter se videntur non mediocriter.

mediocriter. Enitendum tamen est hac etiam in re, vt ad verum quàm proxime accedamus. Itaque quæ emolliunt, abluunt, abstergunt, ad lenientia redigi posse arbitror. eadem enim quę molliunt, asperitatem quoque intestinorum leniunt, & eadem lenia sunt quę & mollia, licet diuersa lenientium & mollientium sit ratio. ita etiam quæ abluunt absterguntq; dum sordes auferunt, illa quidem copioso humore, hæc vero siccitate veluti corradentia, naturalem statum visceribus conciliant, quę scilicet mollia & lenia suapte sunt natura. ita vt seu per se, seu per accidens eadem quoque leniant. Colliquantia vero ad soluentia referri possunt. euphorbium etenim prȩterquam quòd quę in ventriculo intestinisq; obuiam fiunt à frigido coacta, qualia pituitosa sunt, sui calore dissoluit; etiam à venis quarum ora maxime reserat, valenter trahit, quod eorum proprium est quę soluendo expurgant. quam ob rem si hęc ita se habent, superesi vt quatuor tantum sint modi laxandę alui, quos Auic. & Mesues describunt. Transeo nunc ad id quod tertio loco quærebatur, an lenientia lubricantia comprimentia purgatoria sint vere. an scilicet humores cum delectu trahant & specificæ formæ ratione, vt purgatibus veris supra attribuimus. Non ignoramus hac etiam in re Mesuen carpi. si enim leniendo lubricando comprimendo educunt; vt ob manifestas qualitates educant, & quiduis obuium nullo delectu habito detrahant, necesse videtur: ac propterea vt temere in his quoque specifica forma pro causa afferatur, & certi humoris electio ascribatur. Cæterum an medicamenta huiusmodi proprios humores spectent, experimento standum censeo. at assumpta rosa, mirabolano citrino, manna, cassia, rhabarbaro bilem multam, & ex polypodio, mirabolano emblico, & alijs eius generis medicamentis pituitam præter communia excrementa quæ intestinis adhærẽt detrahi semper videmus. atque hoc argumento est non promiscue omnia, sed certos ab his quoque ipsis deligi humores. quod si verum est, ex ijs quoque quæ supra longa disputatione statuimus, vt à specifica forma agant necesse erit. At Mesues ipsemet (dices) hæc inter stercoraria, & ea quæ obuium potius quiduis educant quàm attrahant, reponit. Nihil impedit vt medicamentum idem ob manifestas qualitates leniendo comprimendo & lubricando, ac ob occultas soluendo etiam expurget: ac præter communem attractricem vim, propriam etiam insitam habeat. à manifestis autem qualitatibus quæ eiusmodi sunt præsertim denominationem suscipiunt, & quòd dum expurgant effecta sensilibus qualitatibus similia apertius prodire ab his quàm à soluentibus videmus, assumptis enim lenientibus lenis, comprimentibus astricta aluus remanet peracta purgatione: & quòd hic ipsa nihil posse in purgando videntur vere purgantibus comparata.

CÆTERVM quæ dissoluẽdo purgant & deijciũt, ferè eadem vel attrahunt, vel eradicant: attrahunt quidem, à supernis partibus materias: eradicãt ab infernis. Reliquis vero tribus deiectoriorum generibus facultas purgatrix insita, est admodum imbecilla: ob idque parum perspicua, vt quæ solum materias, quibus ipsa occurrunt, euacuet, neque hepar transcendat. A capite autem per accidens vacuare videri hæc possint, quòd materias ad ipsum tolli consuetas vacuant. Medicamenta enim purgantia iuuant per se, quædam etiam per accidens. Per se enim, quæ ex sua temperie, & propria facultate commodant, vt pituitę turbith: bili flauæ, tamar Indi, temperatura & proprietate opponũtur. Per accidens vero, id est, alio aliquo interueniente, quando quædam ab aliquibus fiunt contra propriam ipsorum facultatem, vt hæc ab his posse fieri non facile credatur, vt scammonium cum sit calidum, corpus tamen refrigerat, per accidens scilicet, seu per calidæ materiæ vacuationem: qua enim causa præsente fit hoc, eadem absente fit contrarium. Facultas præterea medicamentorum, in materias ostenditur, quãdo ea humorem sibi familiarem delectu quodã educũt: educũt autẽ (vt quibusdã visum est) eum, qui cæteris in corpore sit largior, & post hunc, alium copia illi proximum. Nam omnia medicamenta purgantia pituitã fere vacuarent, vtpote in nobis vtraque bile propè semper largiorem: quod falsum est. imo humorem absolute non vacuant. sed hoc genus medicamenti humorem hunc sibi familiarem delectu quodam expellit, eumque interdum tenuem, crasso in nobis relicto: interdum contra. Cuiusque enim medicamenti purgantis actio insita, & bene directa hæc eligit, illa relinquit: hunc vel illum humorem respicit, non omnem: nec vltra quàm passurus humor exigit, transgreditur, nisi immoderatius agat. Rei cuius abunde scientẽ te naturalis philosophia reddiderit. Medicamentum igtur omne humorem sibi familiarem primum educit: deinde illum, qui ad sequendum magis est habilis: postea alium sequi paratiorem: postremo sanguinem, quem ceu thesaurum quendam natura, quandiu potest, retinet, trahique prohibet: tandem vero victa, trahentibus permittit expellendum. In hac humorum successione primum sibi cognatum trahit medicamentum, suo iure directum: alios vero tanquam degenerans, ob actionis vehementiam: quomodo si quis irasci facilis, ira sic incitetur, vt furiat. Tunc enim rectas actiones suas, vltra quàm par est, & quã statuerat, transgredietur.

Hip. lib. de na. humana.

MONDINVS.

NOTANDVM, quòd ex ista litera possumus habere solutionem cuiusdã quæstionis in qua cõsueuit quæri, vtrum aliqua medicina solutiua possit euacuare alium humorem, quàm proprium sibi. Quia dicere aliqui videtur, quòd non, quia si ipsa euacuaret alios humores à suo proprio, tunc ad omnes illos haberet formam specificam determinatam, vel per quam illos euacuaret, hoc autem est impossibile. Dico ad hoc quòd ipsa medicina solutiua per se, & secundũ se nõ euacuat nisi proprium & determinatum humorem, sed per accidens bene potest euacuare alios à proprio humore, & hoc contingit quando ipsa est effrenis & irregularis. Est autem effrenis aut irregularis ex quatuor, aut ratione

Quatuor de causis medic. fit effrenis.

malæ

malæ qualitatis,aut ratione quãtitatis, aut ratione corporis,& virtutis eius,aut ratione vtriusque.ratione qualitatis & hoc dupliciter, aut ratione qualitatis communis,aut propriæ, ratione qualitatis communis, & hoc non potest euacuare humorem hunc & illum; nam vt ponit Auer.i 5.sui coll.c.de medicinis euacuãtibus à forma specifica ipsa medicina solutiua non potest absolui à virtute communi quæ est educere humorem; nam turbith cum educit phlegma, educit etiam cum hoc humorem.modo cum humores ipsi non sint tantum disparati,sicut viuum & cadauer, imo ipsi aliqualem conuenientiam & communitatem habeant, potest medicina solutiua, manente in ea virtute euacuatiua communi,euacuato proprio humore alios euacuare.Hoc etiam potest esse ratione qualitatis propriæ ipsius medicinæ & quæ inest sibi per se & accidentaliter: per se, nam agaricus euacuat phlegma & choleram per se, quandoque quædam simul dum inuenit eos adinuicẽ mixtos,quandoq; autem successiue.potest etiam medicina per qualitatem accidentalem diuersos humores euacuare sicut turbith quando esset rubeum, aut nigrum, venenosum. tunc enim non solum phlegma euacuat, imo euacuat quemcunque humorem, vt etiam sanguinem euacuet. Secundo dico, quòd euacuare potest plures humores ratione quantitatis quando offertur in maiori dosi,quàm debeat: nam sicut medicina euacuat appropriata huic humori,ita oportet vt sit hæc quanta, quia in cõuenienti dosi,& ideo si sit superflua euacuat euacuatione communi & associata,sicut apparet in scamonea, quãdo exhibetur in superflua quantitate, tunc enim primo euacuat choleram, postea phlegma vsque ad sanguinem. Item etiam hoc contingit tertio ratione virtutis corporis:nam cum ipsa medicina euacuet vim inferendo naturæ,vt Auer.ponit 5.sui coll.posuit etiam Mes.supra, tũc licet virtus expulsiua sit irritata ab ipsa vt expellat solum vnum humorem sibi proprium; tamen postquam expulit illum, nititur virtus expulsiua corporis illum alium expellere,qui etiam est nociuus ei & superfluus in corpore,& illum fugare,& præcipue quãdo natura corporis & virtus est fortis.& ex hoc potest apparere nobis, quòd non parum facit ad euacuationem virtus ipsa violenta media. Quarto etiam hoc potest cõtingere ex parte vtriusque: nam potest esse,quòd virtus sit fortis in expellendo, medicina etiam euacuabit virtute communi euacuatiua, vnde cum inter humores non sit tanta disconuenientia sicut inter viuum & mortuũ, poterit euacuare alios humores à proprio & determinato.

HOc autem ordine vacuant materias hæc purgantia medicamẽta,vt cholagogum bilem primũ trahat,hinc pituitam, postea atram bilem, postremo sanguinem:phlegmagogum pituitam primum educat, postea bilem flauam, hinc atram postremum sanguinem. Melanogoga deniq; bilem atram primum,deinde flauam, tertio pituitam,ad postremum sanguinem.

MONDINVS.

ADVERTENDVM, quòd causa quare medicina quæ euacuat phlegma,primo id euacuat, postea melancholicam,vltimo sanguinem,est duplex. vnde vt supra dicebatur, propter duas causas principaliter medicina post euacuationem proprij humoris euacuat alium humorem.vna est propter virtutem euacuatiuam communem quæ in ipsa remanet post operationem virtutis propriæ: & hanc virtutem & operationem communem habet ratione caliditatis, vel vacuitatis. modo omne quod attrahit ratione calidi, vel vacui attrahit citius quod subtile est, quam crassum: & ideo cholera cum sit subtilior,quam ipsa scilicet melancholia, post euacuationem phlegmatis euacuabitur cholera, postea melancholia. sed causa potest esse: nam vt apparuit supra,vna causa potest esse quare vna medicina euacuat vnum humorem post alium; erat, quia medicina inferebat vim naturæ.& ideo quãdo medicina euacuabat proprium humorem post illum, debet magis euacuare illum qui magis molestat naturam, qui etiam magis abundat in corpore.& ideo si rhabarbarum euacuauit choleram in aliquo, post ipsam debet euacuare phlegma, postea melancholiam eo quòd magis phlegma molestat, plus etiã de eo est in corpore, quam de melancholia: vltimo vero educit sanguinem, eo quòd cum sit thesaurus naturæ non etiam molestat naturam,etiam si sit de eo in corpore plus quam de alijs humoribus. Aduertendum est, quòd id quod dictum est, habet verum, quando solum iste humor qui debet principaliter euacuari à medicina peccat in quali,aut in quanto,vel vtroque:alij humores sunt secundum naturam. nam si aliqua medicina euacuat choleram,& illa peccet in quali in corpore, phlegma autem non peccet, sed magis peccet melãcholia magis in quali,tunc contingit, quòd medicina quæ euacuauit choleram, post choleram euacuabit melancholiam, & non phlegma, etiam supposito quòd phlegma peccaret in quanto, & non in quali, vt melancholia. & ideo etiam si aliqua medicina detur principaliter propter vnum humorem euacuandum, & iste humor in corpore non peccet, tunc ipsa euacuabit prius humorem aliũ peccantem, quam illum quem debet principaliter euacuare,etiam si medicus faciat istud ex errore. & ex hoc apparet, quòd hic ordo debet intelligi ĩ corpore in quo solum ille humor,qui debet principaliter euacuari à medicina peccet in quali,alij autem humores non peccent in quali.Et ex hoc apparet quare vltimo & rarius educit sanguinem, eo quòd raro est, quod sanguis peccet in quali sicut alij humores.etiam natura ipsum recondit pro thesauro. Sed tu dices quare etiam non coaptauit hunc ordinem ad medicinam euacuatiuam melancholiæ principaliter? Dico quod satis datur intelligi ex dictis ab eo: nam si aliqua medicina euacuat principaliter melancholiam post ipsam euacuat choleram, postea phlegma, vltimo necessitata natura, euacuat sanguinẽ.

Notãdum

Quare ne. supflue euacuas dimittit sanguinẽ in vltimo.

NVLLVM enim medicamentum facultatem habet primam, & per se hæmagogam, id est, qua sanguinẽ abigat & vacuet, quẽ natura vsque ad postremum retinet,neque trahi permittit, nisi coacta vi medicamenti immoderatiore.

MONDINVS.

ADVERTENDVM, quod Mes. in suis verbis ponit duo in genere,vnum est quod non est reperire aliquam medicinam regulariter, & de propria intentione sanguinis eductiuam, & causa est, quia natura eũ recondit vsque ad vltimum.Secũdum quod ponit Mes. in his verbis est,quod licet non sit aliqua medicina,quę de propria intentione euacuet sanguinem,tamen virtus siue natura coacta ab effrenitate pharmaci vltimo illũ expellit.Ratio primi potest esse duplex, prima est, quoniam si natura nunquam intendit principaliter, & regulariter sanguinem à corpore expellere, sed ipsum ad vltimum retinere secundum quod est ei possibile, tunc nõ reperitur medicina, quæ principaliter illum euacuet. sed ita est,quare &c. Maior est nota,quia medicina regulariter

Quare non reperit medic. de propria intentione sanguinis eductiua.

lariter operans ſolum illum humorem expellit quem natura intendit euacuare. minor eſt nota eo quod ſanguis eſt theſaurus naturæ quem nunquam intendit expellere. Secunda ratio eſt quoniam ſi medicina ſolutiua non habet à proprietate ipſum ſanguinem attrahere, tunc nõ eſt reperire medicinam quæ regulariter & per ſe ſanguinem euacuet. ſed ita eſt, quare &c. Maior eſt nota, eo quod iſtæ medicinæ euacuant humores, & eos attrahunt per proprietatem. minor apparet ex eo quod natura principaliter attrahit ſanguinem, eo quod membra ex eo præcipue nutriuntur, & ſi attrahit alios humores hoc facit vt cum ſanguine ſint permixti, quoniam non attrahuntur niſi permixti cum ſanguine, aut etiam propter diuerſitatem membrorum in actu nutritionis ipſorum: vnde quædam magis indigent ſanguine melancholica, vt oſſa, quædam ſanguine cholerico vt pulmo; & ſic de alijs. modo ſcitis quod attractio naturæ, quæ attrahit ſanguinem eſt oppoſita naturæ ipſius medicinæ ſolutiuæ eo, quod medicina attrahit per virtutem venenoſam quæ eſt in ea, virtus autem venenoſa eſt contraria naturæ corporis. quare concluditur quod non reperitur medicina principaliter ſanguinis euacuatiua. Tamen iſtæ rationes non ſunt demonſtratiuæ: non enim concludunt quod nullo modo poſſit reperiri medicina ſanguinis eductiua, imo bene reperitur, ſed tamen medicus non debet eam alicui oſtendere, nec demonſtrare, cum illa medicina ſit valde effrenis, phyſicus etiam medicus non poteſt ſic ſubuenire nocumentis eius. vnde Gal. ponit in lib. de ſimpl. pharm. quod talis medicina ſanguinis eductiua non reperitur, & ſi reperitur, medicus ea vti non debet: non enim euacuat ſanguinem niſi propter peſſima accidentia quæ inducit & nocumenta ſcilicet excoriando venas, & ſuperflue aperiendo ſcilicet orificia venarum, & etiam quando valde ſuperfluit in euacuatione, vt ipſe ſtatim ponet, & iam magis tute, & commode poſſumus ſanguinem euacuare, quam cũ medicina. poſſumus enim eum euacuare per phlebotomiam & cum ventoſis, non autem ſic alij humores, eo quod alij humores euacuantur magis cum electione, non autem ex neceſſitate vacui, vel conſecutione vnius ad alterum, ſicut contingit quando ex phlebotomia ſanguis euacuatur, euacuatur enim magis ex neceſſitate vacui vel ex quadam conſequentia quam euacuetur electione.

Lib. 2. de diſſe. ſeb. c. 12.

QVOD ſi ſanguis iam corruptus eſt, ac computruit, ſanguis eſſe deſiit, & portione tenui in bilem flauam abijt, craſſa in atrã, vt inquit Galen. quam vtranq; medicamento purgante vacuari poſſe, nemini ambigitur.

MONDINVS.

REMOVET quandam obiectionem. dixerat, quod non reperitur aliqua medicina euacuatiua ſanguinis de propria intentione. modo diceret aliquis, non eſt verum, eo quod ſanguini putreſcenti inuenitur medicina euacuans. Reſpondet & dicit quod iſte ſanguis receſſit à natura ſanguinis: nam dicit ipſe auctoritate Gal. quod ſanguis putreſcens ſubtile eius conuertitur in choleram, & craſſum eius conuertitur in melancholiam, & ideo qua ratione inuenitur medicina euacuatiua ipſius choleræ & melancholiæ ita etiam medicina eadem euacuatiua eſt ſanguinis putreſcentis cuius ſubtile eſt conuerſum in cholerã, & craſſum in melancholiam. vnde tenet naturam humorum in quos transmutatur, & ex hoc apparet quod non ſolum Auic. imo etiam Meſ. & alij authores poſuerunt quod de intẽtione fuit Gal. quod ſanguis putreſcens non eſt ſanguis, de hoc tamen eſt dubium, & hoc dicetur perfecte in ſecundo de feb. Tamen ſciendum ad præſens quod ſanguis putreſcens, aut eſt in fieri, aut eſt in facto, ſi eſt in facto, eſt in termino putredinis: ſi ſit in fieri, tunc adhuc ſeruat naturam ſanguinis, & non eſt conuerſus in cholerã, nec in melancholiam, ſed eſt aptus conuerti ad illos: ſi autem ſanguis iſte ſit in termino putredinis, tunc non ſeruat naturam ſanguinis, imo eius ſubtile iam eſt cholera, & eius craſſum in melancholiam eſt conuerſum. Sed tu dices ſi ſanguis eſt in putrefieri reperitur medicina ipſius euacuatiua? Dico quod non, nam quod talis medicina non reperiatur, hoc non eſt ex parte virtutis, eo quod virtus & natura regitiua totius gaudent bene in eius expulſione: ſed hoc eſt quia non inuenitur aliqua medicina, quæ a forma ſpecifica poſſit ſanguinẽ euacuare, & ſi reperiatur talis medicina tamen aliter, & meliori modo poſſet talis ſanguis euacuari, quam à medicina, quia cum phlebotomia, & ventoſis, etiã talis medicina poſſet ſanguinẽ laudabilem euacuare, & non putridum, aut magis euacuare, quam putridum, etiam nõ poſſet ſic reſiſti nocumentis talis medicinæ: euacuatiuæ ſanguinis, ſicut ſi euacuaretur cum phlebotomia, & ventoſis: non enim medicus poteſt ſic regulare medicinam euacuatiuam ſicut phlebotomiam tantum, licet ipſe ſanguis putridus euacuari poſſit per phlebotomiam, adhuc circa iſtum humorem expectamus digeſtionem antequã euacuetur ſicut circa alios humores, vt ponit Auic. primo ca. fen. iiij. c. de phlebotomia.

Verum dicitur medicina euacuatiua ſanguinis actualiter putreſcẽtis.

COSTÆVS.

ANIMADVERSIONE *hoc etiam dignum eſt, quod ait medicamentum nullum propriam, ac peculiarem ſanguinis detrahendi habere facultatem. naturam enim ſanguinem ad poſtremum vſque retinere, neque vt trahatur permittere niſi coactam. At contra Galen. lib. de purg. med. ſac. deprehenſum ſua tempeſtate hemagogum medicamentum teſtatur. neque alioqui ratio quam hic Meſues affert opportune afferri videtur. non enim ſi natura tantam ſanguinis habet curam, id ſequitur, vt medicamentum non detur ſanguinem ducens. habet equidem natura etiam hominis curam cuius gratia paraſſe inferiora hęc aiunt omnia; at ea tamen venena plura, animalia homini infeſta infinita quotidie profert. Profecto ſanguinem ducunt medicamenta plura immoderatius ſumpta, hęc tamen hæmagoga non ſunt, quod primo loco eum non extrahant ſicut cholagoga bilem, phlemagoga pituitam, melanogoga atrum humorem præ omnibus eliciunt. ſanguinem etiam per vrinas eruum & cantharides detrahunt: ſed neque de his eſt ſermo quæ purgatoria non vocantur. aloe quoque ſanguinem detrahit per venas ſedis (vt ait Meſ.) ex proprietate, ſed non primo loco, neque attrahendo id agit: verum bilem primum allicit, ſanguinem vero ob id detrahit quod ora venarum reſeret; atque hæc propterea non eſt per aluum expurgatio. de purgantibus autem quæſtio nunc inſtituta eſt, an eorum aliquod primo loco ex proprietate humorem hunc extrahat, ſicuti alios humores alia. Ac Gal. quidem, tale quoddam ſuo tempore inuentum teſtatur. Vere tamen (vt ingenue dicam) cogit me adducta à Meſ. ratio vt nullum tale inueniri medicamentum ſuſpicer. nempe, quod natura ſanguinem totis ſemper viribus cuſtodiat, neque trahi niſi coacta permittat. At contra argumento ſumpto à ſimili*

Cap. 4.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-170803-p0042-8 DFG

mili obijcis naturam venena belluasq; ac feras homini aduersas & infestas proferre, licet eius precipuam ac veluti primariam curam gerere videatur. addisq; experimentum Galeni ætate comprobatum. Verum ad hæc. Medicamentum id sanguinem educens, ex proprietaténe ac primo loco id ageret, an potius manifestis qualitatibus secando ac erodendo, aut post immoderatam aliorum humorum euacuationem; non asserit Gal. sed quod inuentum illud asserit obseruatione facta in suillo iecore, coniecturam facio, id ex ijs fuisse quę erodendo dissoluendoq; agerent. propterea ergo non aduersatur nobis Galeni historia qui de ijs verba facimus quę ex proprietate, ac primo loco sanguinem educunt. Quod autem aduersus rationem nostram affertur, irritum puto & vanum. Esto enim vt medicamentum tale adsit sanguinem appetens & attrahere primo loco contendens; quum tamen fieri humoris vllius attractio non possit nisi annuente cõtendenteq; retentrice membrorũ facultate; propria hæc partium natura tuendo sanguini quo alimenti gratia egẽt, tota opera semper incumbens, trahi illum primo loco, si integræ partes sint, non sinet; sed admittet omnes antea humores alios quam sanguinem. Firma ergo ratio est Mesuæ qua hæmagogum medicamentum non inueniri persuadet.

MNIA autem, quæ summe & effræni virtute purgant medicamenta, sanguinem tandem, nõ tamen propria vi educunt, sed vel excoriatis venis, vel orificijs venarum tam late apertis, vt sanguis effluat: vel sua vi immoderatiore extremam vacuationẽ moliente. Qualia sunt, aloë mala, cucumer agrestis, centaurium, colocynthis vnica in planta vna, scammonium è regione Scenitarum, euphorbiũ, * thymelęa seu granum gnidium, prę sertim paruum. Sunt tamen medicamenta quædam, sanguinem purum & clarum efficientia, vt lupulus, adiantum albũ, rhabarbarum Sceniticum, serum lactis, præcipue caprarum bono pastu educatarum: succus rosarum, cassia fistula, absinthium, fumaria, aloë, succus bonorum fructuum, vt Damascenorum, asphodelus, potissimumque ipsius succus, & similia. Medicamenta autem præcipue cholagoga sunt, aloë, scammonium, absinthiũ, eupatorium, lupulus, myrobalani citreæ, fumaria, rhabarbarum, serum lactis, succus rosarũ, violæ, cassia fistula, tamar Indi, manna, psylliũ, pruna, succus fructuum bonorum. Phlegmagoga vero magis sunt, myrobalani cepulæ, emblicæ, bellericæ, sal gemma, colocynthis, turbith, stœchas, iris, sarcocolla, balanus myrepsica, ricinus, hyssopus, thymus, oppopanax, sagapenũ, euphorbium, aristolochia, cnicus, centaurium eupatorium, agaricus, cucumer agrestis, hermodactyli, scilla, cuminum, asarum, polium, polypodium, vrtica, zingiber, serum lactis, mel, saccharum rubrum. Bilẽ atram proprie & potissimum vacuant, epithymum, stœchas, myrobalani nigræ, polypodium, esula, calaminthe montana, senna, eleborus niger, sal Indus, sal naphthicus, sal niger, lapis Cyanus, lapis Armenus, & similia. Humores quoque vstos, senna, myrobalani nigræ, fumaria, lupulus, volubilis maior, serum lactis, & similia. Aquas denique, turbith, thymus, adiantum album, euphorbiũ, ricinus, cucumer agrestis, centaurium, aristolochia, sal, sal gemma: aquam autem rufam, iris, cucumer agrestis, agaricus, sagapenum, * granum gnidium, esula, æs vstum, & similia.

Mezereon.

Medicamentorum quoque facultas quædã est partibus quibusdam familiaris, eas iuuans, & humoribus superfluis expurgans. Expurgantur autem hi humores à vẽtriculo & intestinis facilimè: à venis mesaraïcis, minus prompte: & his adhuc ægrius ex venis simæ hepatis [& gibbæ.] Difficulter item à venis tenuibus singularum corporis partium: difficilime à iunctuis, præsertim cum ipsi dictis partibus diu immorati sunt, & impacti tenacius adhærent. Cũ autem medicamenta soluendo purgantia possint à partibus remotis, supernis quidem attrahere, infernis veto eradicare: tria vero reliqua purgantium genera materias potius obuias educunt, [illis in parte difficulter vacuãda. his in ea quæ prompte vacuatur, vtendum est:] obseruata simul proprietate medicamento cuiq; purganti insita, hãc vel illam partem magis respiciente. Vt partes capitis, agaricus, colocynthis, stœchas, aoë, scylla, epithymum, myrobalani cepulæ & Indæ, sal Indus, lapis Cyanus, lapis Armenus, respiciunt magis, & ab his materias potius vacuãt. Vt thoracem & pulmones, agaricus, thymus, hyssopus, volubilis, manna, cassia fistula, sarcocolla, iris, colocynthis, & similia. Ventriculum, & intestina, absinthium, aloë, myrobalani, & alia quæ obuias tantum materias educunt. Splenem vero, agaricus, senna, epithymum, elleborus niger, stœchas, eupatorium, absinthium, calaminthe montana, sal Indus, sal niger, & similia. Hepar item, agaricus, volubilis maior, lupulus, serum lactis, rhabarbarum, eupatorium, absinthium, & vtriusque acrosarum succus, myrobalani, tamar Indi, fumaria, iris, * granũ gnidium, senna, esula, æs vstum, sagapenum, sarcocolla, & similia. Iũcturas deniq; ac partes alias remotas, hermodactylus, sarcocolla, opoponax, sagapenum, euphorbium, colocynthis, turbith, sal gemma, sal Indus, centaurium, cucumer agrestis, elleboborus niger, polypodium, & similia. Ab ipsa vero cute materias educunt ac expurgant serum lactis, fumaria, colocynthis, epithymum, agaricus, polypodium, & similia. Ab ipsa vero cute materias educunt ac expurgant serum lactis, fumaria, colocynthis, epithimum, agaricus, polypodium, myrobalani Indæ, volubilis, & similia. Præter iam dicta, indicatio ab aëris temperie magni est momenti ad rectum medicamentorum purgantium vsum. Nam aëre multum calido aut frigido, à medicamentis purgantibus abstinen-

Mezereon.

Medicamenta quæ quas partes respiciat. Gal. li. 5. simp. c. 23

Partes quo longius absunt à ventriculo & intestinis, & meatus habent angustiores, eo acrius purgãtur.

Aph. 5. li. 4. abstinendum est, quod insinuauit Hippocrates, sub cane, & ante canem difficiles medicamentis pronuntians: quia (vt inquit Galenus) natura ab aëre calidissimo inflāmata, [nec acrimoniam medicamenti purgantis ferente,] febrēs excitātur, & virtus a multo calore externo resoluta & infirmata, à medicamento purgante magis deijcitur. Adde quod aër externus, balnei modo calore suo prætertim immoderatiore medicamenti intro trahentis, vim ad cutim attrahens [purgationi obsistit.] Quod si æstate vacuandum est, purgabis (vt etiam iubet Hippocrates) superiorem ventrem, & hyeme inferiorem. Recte si quidem (inquit Galenus) imperat Hippocrates æstate vomitu purgādum corpus: quia tunc bilis flaua abundat, & tota animalis natura ob ambientis caliditatem omnino magis ad superiora mouetur: humores enim per anni partium dispositionem sibi similem augentur, aut minuuntur per contrariam sibi aëris temperaturam, vt æstate bilis flaua augetur: calida item & acria [& leuia] facile ad superiora feruntur. Dandum igitur medicamētum hoc tempore, quod bilem per superiora educat. In hyeme vero augetur pituita, quæ cū grauis sit, ad inferiora repit: dandum igitur tūc medicamentum, quod per inferiora educat. Medicamenta igitur æstate vitanda sunt, quæ acria & valentia sunt, purgantq; dissoluendo: hyeme vero purgantia lubricando. Illa enim febres, vlcerationes, dysenterias, prompte excitant: hæc diarrhœas, & lienterias. Acria vero illa non in æstu solum, sed etiam frigore vitanda, quia vt in illo excoriationem & febres (vt diximus) prompte excitant, sic in hoc hypercatharsin, hoc est, purgationem immodicam & virium dissolutionem.

Galen. hæc omnia in cōmentario eius Apho. Aph. 4. li. 4. Commentario.

Hæc nō habet eo loco Galen., sed ī natura humana.

COSTÆVS.

Aphor. 4. *DE opportuno assumendi medicamenti tempore agit, atque id affert quod Hipp. 4. aph. æstate per superiora, hyeme per inferiora purgandum esse. Hęc tamen res dubitatione non vacat. quando idem Hipp.*

Aphor. 15. *seu Polybus lib. de salubri dieta sex brumalibus mensibus per superiora purgandum precipit, quia id tempus æstiuo pituitosius est, & morbi caput tentant, & regionē supra septum transuersum, & Celsus quoque lib. 1. vomitum hyeme vtiliorem esse docet quam æstate, quòd tunc plus pituitæ, & capitis grauitas maior subest. Sanè licet pro huius controuersiæ solutione alias quoque non mediocriter laborauerimus dum in Auic. meditaremur; nunc tamen ijs interea prætermissis quæ illic scripsimus, hæc libet adijcere. In libro quidem de salubri dieta de sanis agi corporibus. tota enim in hoc ea tractatio est: in aphorismis vero de ijs qui ægrotant. propterea q̄, illud quidem quod hyeme vomendum sit, preseruatricis, hoc vero quod æstate, curatricis præceptum esse. atque hoc pacto discordiam Hippocrati cum ipsomet Hipp. ac Celso esse nullam. Innuere hoc ipsum Gal. in eo de salub. dieta libro*

E *videtur. quum præcepta hæc perpendens, vbi purgandum vniuersum sit corpus & euacuanda quæ in præsenti abundant, agendum ait per loca ad quæ humores vergunt; per contraria autem retrahendum, si ne augeantur excrementa velis obsistere. Vniuersum profecto corpus nisi præsente, aut imminente iam morbo non expurgatur. propterea q̄, quod in aphorismis traditur, in ijs quæ ægrotant obseruandum, æstate scilicet per superiora, quòd bilis tunc temporis maxime affluens & excandescens sursum repit; hyeme per inferiora quòd pituita tunc redundet grauis, & sponte deorsum inclinans. secus vbi ne augeantur excrementa studium est. tunc enim non præsentem, sed futurum morbum auertimus. & hyeme quidem per superiora purgare ventriculum præstat, quòd pituita in eo multa affluit expurgatu per vomitum facilior ob viæ breuitatē: æstate autem deorsum retrahenda excrementa, quòd bilio-*

F *sa præsertim tunc temporis sunt, à quibus metus est ne incalescat corpus.*

THEOREMA SECVNDVM.

De medicamentorum purgantium correctione.

G MEDICAMENTORVM purgantium tam bonorum quàm maleficorū differentias prius demonstrauimus: nūc autem horum malignitatem auferre, vel saltem obtundere, & quibus poterimus modis corrigere, partim malitiam eorum & excessum frangentibus, partim salubrem aliquam facultatem afferentibus, Dei benedicti beneficentia adiuti, tentabimus. Corrigimus autem medicamentū purgans maleficum, aut misto ipsi altero facultatem habente contrariam ipsi excessui, aut arte aliqua, & industria melius ipsum reddendo. Verum facultatis contrariæ mistio tribus modis perficitur, vt inquit Democritus. Aut enim

H malitiam à proprietate innatam, vt qualitatē venenosam, & vitę nostræ inimicam, alijs proprietatem oppositam natura sortitis, emendamus: aut intemperiem eorum calidam, frigidam, humidam, siccam, contraria qualitate mista, permutamus: aut denique effectis ipsorum noxiis post dicendis, cōtraria opponimus.

Corrigendi medicamenti ratio duplex.

COS.